AD

VIRI REVERENDI

*CONIER. MIDDLETONI*, S.T.P.

DE

# MEDICORUM

APUD

VETERES ROMANOS

DEGENTIUM CONDITIONE

# DISSERTATIONEM,

Qua SERVILEM atque IGNOBILEM
eam fuiſſe contendit,

*RESPONSIO.*

John Ward

*LONDINI*,

Typis S. BUCKLEY:

Proſtant apud J. WOODMAN et D. LYON
Bibliopolas, M. DCC. XXVII.

AD

VIRI REVERENDI

*CONIER. MIDDLETONI*, S.T.P.

DE

# MEDICORUM

APUD

# VETERES ROMANOS

DEGENTIUM CONDITIONE

# DISSERTATIONEM

## *RESPONSIO.*

INVETERATA quaedam opinio per animos multorum eruditorum pervaſit, omnes aut ſervos, aut abjectae ſortis homines fuiſſe, qui apud veteres Romanos medicinam fecerint.

rint. Hanc autem ſententiam, ut veritati parum conſentaneam, artique ſalutari injurioſam, alii non minus eruditi refutare conati ſunt. Inter hos celeberrimus Meadius in *Oratione* ſua *Harveiana*, tertio ab hinc anno publicata, ex honoribus et praemiis, quae in medicos olim Romae conferebantur, non tantum magno pretio et aeſtimatione ipſam medendi artem, ſed etiam profeſſores ejus honeſta conditione ac loco, illic fuiſſe oſtendit. Tot enim tantaque beneficia et immunitates, quae in *Oratione* commemorat, ſervis, aut aliis abjectae ſortis hominibus, data fuiſſe, omnino ei incredibile videtur. Ceterum vir reverendus, *C. Middletonus*, *S. T. P* et *Academiae Cantabrigienſis Protobibliothecarius*, qui huic controverſiae nuper ſe immiſcuit, in

*Diſ-*

*Diſſertatione* quadam ab ipſo edita, *medicorum apud veteres Romanos conditionem ſervilem atque ignobilem fuiſſe*, contra Meadium praecipue contendit. Cum primum itaque ad manus *Diſſertatio* iſta pervenit, antiquitatis amore incitatus, in qua tota haec quaeſtio verſatur, eam ſtatim perlegi. Inter legendum autem, ut fit, quaedam notavi, et excerpſi; quae cum in cumulum majorem, quam ipſe primo crediderim, excreverant, iterum deſcribere, obſervationes quaſdam adjicere, et in rem univerſam paulo accuratius inquirere, mecum ipſe ſtatui. Suſcepto igitur opere ac paene effecto, quae ſcripſeram, cum uno atque altero amico communicavi; qui ut ad finem perducerem, et publici juris facerem, mihi ſuaſores atque hortatores erant. Interim *Notae*

*tae Breves* in Middletoni *Diſſertationem*, ab erudito quodam medico, ut prae ſe fert, conſcriptae, prodierunt. Sed cum auctor ſumma rerum capita ſolum attingere, paucoſque illius *errores*, ut vocat, *redarguere* ſatis habuit; pleniorem totius argumenti diſquiſitionem neque rei antiquariae, neque medicinae ſtudioſis, ingratam fore exiſtimans, quid de eo ſentiam, jam explicabo.

SUMMAM controverſiae in duo capita Vir Reverendus partitur. " Neque dicere, *inquit*, dubitavi, " Meadium ipſum dupliciter pla- " ne labi videri : primum, quod " *medicos olim Romae liberos eſſe* " *et ingenuos*; deinde, quod *chi-* " *rurgos a ceteris medicis diſtin-* " *gui* omnino et *ſegregari* puta- " ret ; cum utroſque communi " cum nomine, tum conditione,

" apud

" apud veteres Romanos uſos
" ſemper eſſe certiſſimum eſ-
" ſet [1] ". Horum igitur utrumque partim rationibus, partim veterum ſcriptorum teſtimoniis, deinceps refellere conatur. Nos veſtigia illius prementes via, qua ducit, ſequemur ; et tum argumenta, tum auctoritates, quanta poſſumus brevitate, expendemus.

QUOD ad prius caput attinet, a primis temporibus repetens, " Apud veteres, *inquit*,
" Romanos medendi artem non
" ſolum minus excultam, ſed
" ne cognitam quidem eſſe, ex
" monumentorum omnium ſi-
" lentio ſuſpicari fas eſt [2] ". Si *artem* hic ſtricto ac proprio ſenſu intelligat, *apud Romanos*

[1] Differt. p. 4. [2] Ibid. p. 5.

*non*

*non ſolum minus excultam, ſed ne cognitam quidem* primis aetatibus *fuiſſe,* haud difficulter ei concedam. Sed pergit:

" Nec per plura deinceps ab
" urbe condita ſecula ullius un-
" quam medici fama, nomenve
" memoriae traditur; vel artis
" quidem ipſius ulla fere a ſcri-
" ptoribus fit mentio. Neque
" mirum ſane raram ibi rei fie-
" ri mentionem, cujus rarum
" fuiſſe uſum neceſſe ſit, apud
" homines ſcilicet ſumma tem-
" perantia educatos, ſummiſque
" laboribus exercitatos". Et mox: " In hoc rerum ſtatu rem-
" publicam ſine medicis ad ſex-
" centeſimum uſque annum flo-
" ruiſſe narrat Plinius [1]; qui
" tamen haud ita accipiendus
" eſt, quaſi neminem omnino

[1] Hiſt. L. xxix. c. 1.

" per

" per tot ſecula medicinae ope-
" ram dediſſe aſſeruiſſet; quum
" medicos, qualeſcunque tandem
" ii fuerint, diu ante Romae
" extitiſſe, et multi auctores
" ſint, et ipſe quidem Archa-
" gathum quendam artem ibi
" antea exercuiſſe meminit. I-
" taque hoc ſolum ſignificaſſe
" intelligendus eſt: nullum il-
" lis temporibus Romanos ha-
" buiſſe medicum, qui artis pe-
" ritia, vel nominis fama incla-
" ruerit, artemque ipſam inte-
" rea jacuiſſe penitus, nullo lo-
" co aut honore habitam, nec
" niſi *a ſervis et extremae ſor-*
" *tis hominibus* adminiſtratam:
" quos fere omnes a Graecis
" (qui magnam Italiae partem,
" Siciliamque tum omnem te-
" nebant) aut bello captos, aut
" pretio emtos, aut fugitivos de-
" nique eſſe veriſimile eſt; quum

" in Graecia medicorum ſervulos,
" dominos conſectando, aegroſ-
" que ſimul obeundo, medendi
" ſaepe artem didiciſſe atque exer-
" cuiſſe certiſſimum eſt [1]". Locum hunc V. R. tam plene deſcripſi, quia non unum continet, in quo nequeo, quin ab eo diſſentiam.

Etenim cum *omnes fere, qui artem medicam ad ſexcenteſimum uſque annum Romae adminiſtrarunt, Graecos fuiſſe, veriſimile eſſe* exiſtimet; quemadmodum haec ſententia cum Catonis (qui tunc temporis vixit) epiſtola ad filium, quae apud Plinium legitur, conciliari poſſit, haud percipio. De Graecis enim loquens Cato, *Quandocunque*, inquit, *illa gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet; tum etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet* [2]. Quomodo autem dicere potuiſſet

[1] Diſſert. p. 6, 7. [2] Hiſt. L. xxix. c. 1.

Cato,

Cato, *Graecos omnia Romae corrupturos, ſi medicos ſuos illuc mitterent*; ſi, ut V. R. ſtatuit, non tantum illo tempore, ſed et diu antea, tota fere medendi ars apud Romanos a Graecis fuiſſet adminiſtrata? Graecam itaque medicinam non ita Romae tunc cognitam fuiſſe, et communi uſu receptam, ut is nobis perſuadere ſtudet, ſatis manifeſto apparet. Non enim de ea loquitur Cato, ut de re praeſenti, et quae vulgo obtinuit (quod ſine dubio non ſiluerat, ſi verum fuiſſet) ſed tanquam *vates*, ut ait ipſe, praemonet, quanta exinde detrimenta reſpublica caperet, ſi in poſterum unquam admitteretur. Idem quoque ex alio Plinii loco confirmari videtur, ubi ita ſcribit: *Braſſicae laudes longum eſt exequi, cum et Chryſippus medicus privatim volumen ei dicave-*

*rit, per ſingula membra hominis digeſtum, et Dieuches ; ante omnes autem Pythagoras et Cato non parcius celebrarint. Cujus ſententiam* [ſcil. Catonis] *vel eo diligentius perſequi par eſt, ut cognoſcatur, qua medicina uſus ſit annos* DC *Romanus populus* [1]. Quem locum ſic interpretatur Plinius Valerianus : *Cato tradit populum Romanum ſexcentis fere annis medicina braſſicae uſum ; nondum enim in urbem commeaverant medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno ſanitas conſtet ; et peregrina ſecum pigmenta attulerunt, ut illis imponerent pretia, quae vellent* [2]. Si populus igitur Romanus medicina Catonis ſententiae congruenti annis ſexcentis uſus ſit, ut Plinius hic indicare videtur ;

[1] Hiſt. L. xx. c. 9. [2] De re medica, L. iv. c. 29.

neque

neque Graeca profecto ea eſſe potuit, neque a Graecis medicis adminiſtrari; utriſque enim Cato hoſtis fuit infenſiſſimus.

Praeterea ex Catonis verbis, quae in epiſtola jam laudata proxime ſequuntur, eum non de ſervis loqui, ſed liberis, ſatis liquet. *Jurarunt*, inquit, *inter ſe barbaros necare omnes medicina. Et hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, et facile diſperdant. Nos quoque dictitant barbaros.* Jam de ſervis haec dici quis credet? Servi non *mercede*, ſed juſſu dominorum, medicinam faciebant; nec, ut opinor, Romanos, hoc eſt, dominos ſuos, *barbaros dictitare* ſuſtinuiſſent. Non a ſervis itaque, ſed liberis, qui ſponte ſua medicam artem exercendi cauſa Romam ſe conferrent, timor hic Catonis exortus eſt. Quapropter ſententia V. R.

tam

tam de tempore, quo Graeca medicina Romae recepta fuit; quam de ſervis eam primo illic adminiſtrantibus, nullo fundamento nititur. Sed cum Romani omnes artes ingenuas a Graecis acceperint, docte ſane et perite clariſſimus Meadius artis medicae primordia apud Romanos ab *Archagatho* ducit [1], qui, narrante Plinio, *primus e medicis venit Romam Peloponneſo, anno urbis* DXXXV [2]. De reliquis autem ad id tempus medicis, ut de hominibus imperitis, nullo artis vel doctrinae praeſidio inſtructis, et qui vix in cenſum medicorum adſcribi mereantur, haud magis rationem eſſe habendam exiſtimaſſe videtur; quam habuit Cicero de verſibus,

*Quos olim Fauni, vateſque canebant* [3],

[1] Orat. Harv. p. 8. [2] Hiſt. L. xxix. c. 1. [3] Brut. c. 18.

cum

cum Romae poëtices initia poſt annos demum quingentos ab urbe condita collocavit. Quanquam ipſe etiam Archagathus artem illic oſtendiſſe potius, quam introduxiſſe cenſendus eſt. Nam, ut Plinius ibidem narrat, licet *mire gratus* eſſet *adventus ejus initio*; *mox* tamen *a ſaevitia ſecandi urendique tranſiit nomen in carnificem, et in taedium ars, omneſque medici.* Hinc ratio apparet, cur poſt Archagathum de nullius Graeci medici, diuturno tempore, Romam adventu legamus; et cur etiam de Graecorum medicina, ut de re potius in futurum timenda, quam tunc in uſu, Cato loquatur: ſcilicet *ars, omneſque* eorum *medici*, apud Romanos, ſi Plinio credamus, *in taedium tranſierant.*

Ex auctoribus autem, quorum teſtimonia

teſtimonia in margine citat, ut Romanos ante *annum urbis ſexcenteſimum* medicos habuiſſe oſtendat, alter eſt Dionyſius Halicarnaſſenſis; qui, " Peſte, *ut* " *ait*, Romae circiter annum " CCCI graſſante, medicos aegris " curandis non ſufficere memi- " nit ". Ambiguo autem ſenſu mentem Dionyſii expreſſiſſe videtur illis vocibus, *medicos aegris curandis non ſufficere*; cum ſcribat is, morbum ita ſaeviiſſe, ut *ei non amplius ſuccurrere* poſſent. Graeca verba ſunt: Ὥιλε τῶι ἰατρῶν ἀρχόντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις [1]. Alterum teſtimonium ex Plauti *Rudente* petitur:

Gr. *Quid tu, num medicus, quaeſo, es?*
La. *Immo edepol una litera plus ſum.* Gr. *Tum tu*
*Mendicus es* [2].

[1] L. x. c. 53. [2] Act. v. ſc. 2.

Verum

Verum oblitus fuiſſe videtur V. R. hanc Graecam eſſe fabulam, in qua, ut e prologo diſcimus, res, tanquam Cyrenis acta, repraeſentatur. Plauti autem aetate Romae medicos fuiſſe, ſi res aliunde eſſet dubia, quomodo hinc demonſtrari poſſet, me ſane omnino fugit. Sed alios hoc genus lapſus ſuo loco infra obſervabimus.

Proinde ſi *in Graecia medicorum ſervulos medendi artem* plene et accurate *didiciſſe*, et publice illic *exercuiſſe*, cenſeat; in ea re haud parum falli videtur. Neque probant hoc illa Platonis verba, in margine ab eo laudata: Καθ' ἐπίταξιν τῶν δεσποτῶν ἢ θεωρίαν, ἢ καθ' ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κτῶνται ὑπηρέται τῶν ἰατρῶν. Quo autem egregii ſcriptoris mens clarius appareat, locum iſtum

hie plenius adſcribere non pigebit. Qui ſic ſe habet : ΑΘ. Ἐισί πᾳ ἰνιὲς ἰαϱοὶ, φαμέν, καὶ ἰνες ὑπηϱέται τῶν ἰατϱῶν ; ἰατϱὸς δὲ καλῶμεν δή πᾳ καὶ τοῦτᾳς ; ΚΛ. Πάνυ μὲν οὖν. ΑΘ. Ἐάν τέ γ' ἐλεύθεϱοι ὦσιν, ἐάν τε δοῦλοι, καὶ ἐπίταξιν ἢ τῶν δεσποτῶν καὶ θεωϱίαν, καὶ καὶ' ἐμπειϱίαν τινὰ τέχνην κτῶνται, κατὰ φύσιν δὲ μὴ, καθάπεϱ οἱ ἐλεύθεϱοι αὐλοί τε μεμαθήκασιν ὅπω, τοῦς τε αὐτῶν διδάσκουσι παῖδας ; θεῖης ἂν ταῦτα δύο γένη τῶν καλουμένων ἰατϱῶν ; ΚΛ. Πῶς γὰϱ οὔ ; ΑΘ. Ἆϱ' οὖν ξυνοεῖς, ὅτι, δούλων καὶ ἐλευθέϱων ὄντων τῶν καμνόντων κὰ ταῖς πόλεσι, τοὺς μὲν δούλους σχεδόν τι οἱ δοῦλοι τὰ πολλὰ ἰατϱεύουσι πεϱιϱέχοντες, καὶ οὐ τοῖς ἰατϱείοις πεϱιιόντες ; καὶ οὔτε τινὰ λόγον ἑκάστου πεϱὶ νοσήματος ἑκάστου τῶν οἰκετῶν οὐδεὶς τῶν τοιούτων ἰατϱῶν δίδωσιν, οὐδ' ἀποδέχεται ; ἀλλὰ στάξας δ' αὐτῷ τὰ δόξαντα ἐξ ἐμπειϱίας, ὡς ἀκϱιβῶς εἰδώς, καθάπεϱ τύϱαννος, αὐθαδῶς οἴχεται ἀποπηδήσας πϱὸς ἄλλον κάμνοντα οἰκέτιον· καὶ ῥᾳστώνην οὕτω τῷ δεσπότῃ παϱασκευάζει τῶν καμνόντων τὴν ὀπιμελείας ; ὁ δὲ ἐλεύθεϱος ὡς ἐπιτοπλεῖστον τὰ τῶν ἐλευθέϱων νοσήματα θεϱαπεύει

τε

τῶ καὶ ὑπασκοπεῖ· &c[1]. Ea ratio fuit medicae artis inter Graecos exercendae, cum medicamenta ſua medici conficiebant, quae ſervilia miniſteria in rebus quibuſdam exequendis neceſſario requireret. Diſtinguit igitur Plato inter liberorum inſtitutionem, et eam peritiam, quam ſervi quidam ſolertia ingenii et obſervatione, dum mandatis dominorum obſequerentur, acquirere poſſent. Nam *in eadem familia*, ut obſervat doctiſſimus Meadius, *vigebat ut plurimum* apud Graecos *medicina, filiis et filiorum filiis a patribus per manus tradita*[2]. Hi itaque a pueritia ad artem educti atque inſtituti, longe plenius et accuratius eam didicerunt, quam ſervis licuit, qui, quicquid intel-

[1] De leg. L. iv. p. 720. Ed. Serran.
[2] Diſſert. De numm. Smyrn. p. 49.

lexerint, *dominos conſectando, aegroſque ſimul obeundo* conſecuti ſunt. Neque minus profecto diſcriminis inter diverſam artis exercendae, quam diſcendae rationem, prout a liberis, aut ſervis adminiſtrabatur, Plato collocat. Hos enim eatenus tantum medicinam, vel potius munera quaedam ad eam ſpectantia, idque in ſuae ſortis homines, adminiſtraſſe, quatenus domini eorum laborem atque operam ſuam levandi cauſa voluerunt, plane ſignificat. Quare ex hoc Platonis loco ſervos publice, et ſuo nomine, apud Graecos medicinam feciſſe V. R. nunquam, opinor, evincet. Immo id legibus vetitum fuiſſe manifeſto conſtat. Nam, ut tradit Hyginus, *Athenienſes caverant, ne quis ſervus, aut foemina artem medicinam diſ-*

*diſceret* [1]. Et cum poſtea, ut dicit, *legem emendarunt*, *ingenuis* tantum foeminis id beneficii conceſſerunt. Servis autem, quibus artem diſcere nunquam licuit, facere nequaquam certe permiſſum fuit. Ceterum per *foeminas*, quae medicam artem diſcebant, *obſtetrices* intelligit Hyginus; quae a Romanis etiam *medicae* vocabantur. Accedit his, quod, Platonem in eo loco de ſervis loqui, non certum eſſe videtur. Nam, ut diſcimus ex Athenaeo, voces δοῦλος et οἰκέτης ita nonnunquam diſtinguebantur, ut prior *libertum*, poſterior vero *ſervum* ſignificaret. Sed operae pretium erit ipſum audire. Διαφέρει φησὶ Χρύσιππος δοῦλον οἰκέτου, διὰ τὸ τοὺς ἀπελευθέρους μὴ δούλους εἶναι, οἰκέτας δὲ τοὺς μὴ τῆ κλήσεως ἀριθμοῦς. Et mox:

[1] Fab. 274.

Καλοῦνται

Καλῦσι δὲ οἱ λῶλοι, ὡς μὲ Κλείταρχος φησὶν ἐν ταῖς γλώσσαις, ἄζοι, ἢ θεραπόντες, ἢ ἀκόλουθοι, ἢ διάκονοι, ἢ ὑπηρέται, ἔτι δὲ παλμανες, ἢ λάτρις[1]. Cum Plato igitur in loco, de quo agimus, λῶλας iſtos ὑπηρέτας τῶν ἰατρῶν appellet, vero haud abſimile videtur eum *libertos* intellexiſſe; qui, cum dominis ſuis operas praeſtare tenerentur, quoties hi aegrotorum multitudine diſtringebantur, λῶλας et οἰκέτας viſitare in mandatis habebant, dum ipſi ἐλευθέρως adibant. Et de hoc medicorum genere illud Laertii haud incommode forſan explicari poſſit: Ἰατρὸς εἰ λῶλος εἴη, πειθήσειν λέγειν αὐτῷ[2]. Atque idem in uſu fuiſſe apud Romanos, ut *medicorum liberti* juſſis patronorum in aegrotis viſitandis obſequerentur, ex *Alfeni reſponſo* intelligimus. *Medicus*,

[1] Lib. vi. c. 19. [2] Lib. vi. § 30.

inquit,

inquit, *libertus* ; *quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum* ; *poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent : id jus eſt, necne ? Reſpondi, jus eſſe : dummodo liberales operas ab iis exigeret* ; *hoc eſt, ut adquieſcere eos meridiano tempore, et valetudinis et honeſtatis ſuae rationem habere ſineret* [1].

Hactenus de medicis, quos per primos ſexcentos annos Romani habuerunt, vidimus. Neque cauſam percipio, quo minus hic verba clariſſimi Meadii uſurpare mihi liceat, cum ait : *Nihil ſervile artem* medendi *adhuc dedecorat* [2]. Imperitos plerumque homines fuiſſe atque artis expertes, utpote qui nec ipſi rem

[1] L. 26. princ. ff. De oper. libert. [2] Orat. Harv. p. 9.

medicam

medicam in artem redegerant, nec a Graecis acceperant; atque in iis civitatis moribus, ac tenui ratione vivendi, etiam haud amplae fortunae, facile concedam: ſervos autem fuiſſe, ne minimam quidem argumenti ſpeciem V. R. attulit, quo, ut credam, inducar. Ad ſequentia igitur ſecula cum eo jam progrederer, niſi unum prius obſervandum reſtaret, quo a Senecae mente omnino aberraſſe videtur. Is enim, ut ait, " Medicos, inter " infimos hominum recenſet; et " divitias in bonis nequaquam " eſſe numerandas contendit, " propterea quod ejuſmodi *bona* " *in arte medendi humillimis* " *quibuſque contingere vide-* " *mus* [1] ". Sed qui locum iſtum apud Senecam paulo attentius

[1] Differt. p. 7.

conſi-

conſiderabit, vocem *humillimis* morali ſenſu uſurpari, mentiſque habitum ſignificare, plane percipiet. Non enim de civili hominum ſtatu illic agitur ; ſed *bona malis hominibus contingere poſſe* affirmatur, quod artium quarundam profeſſorum, atque inter illos *medicorum*, exemplo oſtenditur. Hoc Senecae argumentandi ratio manifeſtum faciet, qui ex Stoicorum placitis probare ſuſcipiens, virtutem ſolum vere eſſe hominis bonum, illo argumento utitur : *Quod contemtiſſimo cuique contingere ac turpiſſimo poteſt, bonum non eſt : opes autem et lenoni et laniſtae contingunt : ergo non ſunt bona.* Peripatetici contra, *Falſum eſt, inquiunt, quod proponitur : nam et in grammatica, et in arte medendi, aut gubernandi, videmus bona humillimis quibuſque*

*contingere*[1]. Jam in majori Senecae propoſitione voces *contemtiſſimo* et *turpiſſimo*, non de externa hominum conditione, ſed de mentis habitu, neceſſario intelligi oportet. Nunquam enim negarunt Stoici virtutem etiam ſervis, & abjectiſſimae ſortis hominibus contingere potuiſſe. Quare ni Peripatetici eadem ſignificatione vocem *humillimis* in ſuo argumento poſuiſſent, eam Senecae propoſitionem, quam falſam eſſe dicunt, nullo modo oppugnaſſent. Porro ex alio Senecae loco hoc confirmari videtur, ubi *liberalium ſtudiorum profeſſores turpiſſimos* ac *flagitioſiſſimos* ipſe appellat. Verba ſunt: *An tu quicquam in iſtis* [ſtudiis] *eſſe credis boni, quorum profeſſores turpiſſimos omnium ac flagitio-*

1 Epiſt. 87.

*ſiſſimos*

*ſiſſimos cernis? Quid horum ad virtutem viam ſternit*[1]? Per vocem igitur *humillimis* non *infimae ſortis* homines, ſed *virtute inanes*, hoc eſt, *humillima* et *abjecta mente* praeditos, ut Stoici cenſuerunt, Peripateticos intellexiſſe manifeſtum videtur. Quod ex Senecae quoque reſponſo plane evincitur; ubi *humillimis* iſtis mox eos opponit, *quos virtus extollit, et ſupra cara mortalibus collocat.* Nec mihi profecto liquet, quemadmodum *bona*, in Peripateticorum argumento, *divitias*, ut V. R. accipit, ſignificare poſſint. Nam cum Seneca negaverat *opes eſſe bona*, quod *contemtiſſimo cuique* ac *turpiſſimo* contingere poſſint, idque *lenonis* et *laniſtae* exemplis oſtenderat; illuſtraſſent po-

[1] Epiſt. 88.

tius, quam refutaſſent Senecae argumentum Peripatetici, alia turpiſſimorum hominum exempla proferendo, quibus opes aeque contingant. Quare aliud bonorum genus, hoc eſt *bonum artium*, Peripatetici, ut opinor, adferre voluerunt. Quanquam nec in his quidem veri *aliquid boni eſſe* concedit Seneca, ut paulo ſupra vidimus. Perperam itaque V. R. a vero ſenſu detorquens, in medicorum dedecus hunc Senecae locum convertit, quaſi *inter infimos homines* eos *recenſuiſſet*; cum alias certe tam de medicis, quam de arte illorum, haud parum honorifice loquatur. *Nec medico*, inquit, *in majus gratia referri poteſt*; *ſolet enim et medicus vitam dare*[1]. Et alibi: *Medicinae apud aegros uſus, apud ſanos honor eſt*[2].

[1] De benef. L. iii. c. 35. [2] De clement. L. i. c. 2.

SED

Sed tempus eſt, ut ad ſequentia Romanorum ſecula jam deveniamus, et quinam fuerit apud illos medicorum ſtatus iis temporibus paulum exquiramus. " Quum vero, *inquit*, Graecia " tandem et Aſia ſubactae, imperioque adjectae eſſent ; tum " luxu inde omnia, deliciiſque " Romae diffluere, Graecorum- " que artes in urbem introductae priſcam illam vitae diſciplinam, ſimplicitatemque omnem corrumpere ; principeſque viri *tum primum* Graecu- " los undique ſervos artibus " inſtructos, et medicinae praecipue peritos, qui et valetudini et luxuriae ſimul miniſtrarent, conquirere ſibi, ac omni ſtudio coëmere coeperunt : " neque procerum poſthac divitumve domus ulla *medicis* " *ſervis*, vel pluribus, vel ſingu-

" lis

" lis ad minimum caruiſſe vide-
" tur ; quorum deinceps in ma-
" nibus medendi ars, ac provin-
" cia fere omnis verſata eſt [1] ".
Mores Romanorum iis temporibus, de quibus V. R. hic loquitur, in pejus fuiſſe mutatos, luxuriamque cum victoriis ac finibus imperii creviſſe, ex ſcriptoribus eorum diſcere licet, qui de hac re haud raro queruntur. Quod ſcribit autem, *principes viros* TUM PRIMUM *Graeculos ſervos medicinae peritos conquirere ac coëmere coepiſſe*, cum iis, quae ſupra affirmavit, qua ratione conciliari poſſit, mihi ſane haud facile apparet. Dixit enim antea, intra primos ſexcentos annos, nimirum dum *priſca illa vitae diſciplina*, morumque *ſimplicitas* adhuc man-

[1] Diſſert. p. 7.

ſit,

ſit, medicinam apud Romanos *non niſi a ſervis et extremae ſortis hominibus adminiſtratam ; quos fere omnes a Graecis aut bello captos, aut pretio emtos, aut fugitivos fuiſſe, veriſimile eſſe* ſtatuit [1]. Servorum autem emtores de ingenio eorum et arte, quibus eſſent praediti, inquirere ſolebant. Quoſnam igitur fuiſſe dicamus, qui hiſce ſimplicibus et incorruptis aetatibus *ſervos* iſtos *medicos* conquiſivere, ut *pretio* ſibi *emerent* ? Non *principes viros*, ſi V. R. credamus. Hi enim *domeſtica ſua diſciplina* contenti, quae ex paucarum herbarum notitia ac uſu conſtabat, Graecorum medicinam contemſerunt. In manus igitur inferioris ordinis hominum eos devenire neceſſe fuit ; qui

1 Diſſert. p. 7.

de

de arte illorum, ut videtur, melius quam proceres ſentientes, domi aluerunt, et in ſua ac ſuorum valetudine curanda occuparunt; ubi tam perite atque aſtute hi Graeculi rem geſſerunt, ut brevi tempore totius fere rei medicae adminiſtrationem, neſcio quomodo, ſibi comparaverint. Cuinam autem credibile poteſt videri, in ea *paupertate civium*, ut ait, mediocris fortunae homines tantos ſumtus in ſervis Graeculis, qui valetudini ſuae adminiſtrarent, alendis impenſuros fuiſſe; quod ne *principes* quidem *viri*, donec *luxu omnia*, *deliciiſque* poſtea *Romae diffluerent*, facere *coeperunt*? Quanam igitur ratione haec ſecum cohaerere poſſint, aliis explicandum relinquo.

Verum iis aetatibus, de quibus jam agimus, proceres Romanos

manos, ac divites, ſervos omni arte inſtructos, atque inter eos medicinae etiam peritos ſibi comparare, ac domi ſecum retinere haud raro ſolitos, nemo ignorat, qui in veteri Romanorum hiſtoria non plane ſit hoſpes. Sed in *horum manibus medendi ars ac provincia fere omnis verſata* nec *fuit*, nec ullo modo eſſe potuit. Hos enim ad ſuum et ſuorum uſum alebant domini, et opera eorum domeſticis parietibus claudebatur, ubi familiae valetudini privatim miniſtrabant. Nihil igitur commune habuerunt ſervi cum artis profeſſoribus, et iis, qui per urbem publice eam exercuerunt. Quis unquam de ſervo audivit, qui *profeſſor medicinae*, aut ullius artis ingenuae diceretur? *Profiteri* ſane, cum artibus tribuitur, eſt *publice ſuſcipere* et *exercere*; quod ſervi in

poteſtate ſua non habuerunt. Si quis Suetonii libros de *Grammaticis* et *Rhetoribus* legat, multos utriuſque artis illic inveniet, qui ſervi fuerant ; ſed neminem, qui docendi munus in ſe ante ſuſcepit, quam libertatem fuiſſet conſecutus. Nec aliter ſe res habuit ratione medicorum. *Lucius Titius*, ut in jure Romano legimus, *ita teſtamento cavit : Medicos tibi commendo illum et illum ; in tuo judicio erit, ut habeas bonos libertos et medicos : quod ſi ego libertatem iis dediſſem, veritus ſum, quod ſorori meae cariſſimae fecerunt medici ſervi ejus, manumiſſi ab ea ; qui, ſalario expleto, reliquerunt eam*[1]. Doctiſſ. Clericus, legem hanc citans, verba *ſalario expleto* ſic Gallice vertit : *après qu'elle leur*

[1] L. 41. §. 6. ff. De fideicomm. libertat.

*eut*

*eut payé leur ſalaire* [1]: ſed, ut mihi videtur, minus recte. Nam Romae medici operam ſuam annua mercede, vel *ſalario*, domibus aegrotorum inviſendis elocabant. Ob quam cauſam *Stertinius*, narrante Plinio, *imputavit principibus, quod quingentis ſeſtertium millibus contentus eſſet; cum ſexcenta quaeſtu urbis ſibi eſſe, numeratis domibus, oſtenderet* [2]. Sic cum mulier quaedam ita legaverat: *Medico Sempronio, quae viva praeſtabam, dari volo: ea*, inquit juriſconſultus, *videntur relicta, quae certam formam erogationis annuae, non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt* [3]. Quare per voces *ſalario expleto* Titium ſignificaſſe puto, medicos, quos

[1] Hiſt. De la med. p. 111. l. i. c. 2.
[2] Hiſt. Lib. xxix. c. 1.
[3] L. 10. §. 1. ff. De ann. legat. et fideicomm.

ſoror ejus manumiſerat, eam reliquiſſe, cum primum tot domus operam eorum conduxiſſent, quarum ſalario bene ſuſtentare ſe poterant. Servi autem, qui in dominorum poteſtate erant, ut reliquae facultates, et *in bonis* eorum ſemper numerabantur, operam ſuam, ut liberti, aliis elocare nequibant. Pleriſque igitur Romanis civibus alii medici, quorum opem in morbis peterent, neceſſario requirebantur. Qui cum haud alii eſſe poſſent, quam liberi ; corruat hinc neceſſe eſt V. R. et aliorum ſententia, qui totam fere rem medicam a ſervis Romae adminiſtratam fuiſſe ſtatuant.

Imo haec, quae diximus, ipſe paulo ante quodammodo conceſſiſſe videtur, cum ait : " Ho-
" rum [*ſcil. Graecorum*] non-
" nulli libertatem tandem, ſeu
" domi-

" dominorum gratia promeren-
" da, ſeu pretio dato adepti, of-
" ficinas plerumque ad operam
" ſuam, artiſque inſtrumenta
" publice vendenda, conducere
" ſolebant; quas *medicinas* Plau-
" tus vocat, quaſque perinde ac
" tonſtrinas, conciliis, coetibuſ-
" que otioſorum frequentari ſo-
" litas docet [1] ". Liquet ex his verbis, V. R. ſervis iſtis Graeculis libertatem conſequi, priuſquam *officinas conducerent*, quibus artem ſuam publice exercere poſſent, neceſſarium exiſtimaſſe. Qua in re ſine dubio, quod verum eſt, cenſuit. Dupliciter tamen hic lapſus fuiſſe videtur: primum, quod de Graecorum iſtis *medicinis* intra annum urbis ſexcenteſimum loquitur; deinde, quod ad Plauti *Amphitruonem* [2], hoc eſt The-

[1] Differt. p. 7. [2] Act iv. ſc. 1. v. 5.

ben

ben Boeotiae, rei, quae in ea fabula exhibetur, ſedem, nos remittit, quo Romae tunc temporis illas in uſu fuiſſe demonſtret.

Jam ex iis, quae diximus, rem medicam apud Romanos *in ſervorum fere manibus* hactenus non verſatam fuiſſe, ſatis, opinor, manifeſtum eſt. Nam per primos ſexcentos annos nihil omnino de ſervis medicis audimus. Et qui poſtea a viris principibus, aliiſque in re lauta conſtitutis, ad hoc miniſterium emebantur, cum publicis civitatis medicis nihil commune habuerunt. Ceterum haud dubitandum eſt, quin multi ex his ſervis, poſtquam libertatem adepti eſſent, artem publice profiterentur. Attamen praeter hos, alios etiam homines ingenuos iis temporibus Romae medicinam feciſſe mox oſtendemus.

Sed

Sed cum auctore noſtro interim progredimur. "Medicorum-"que, *inquit*, adeo numerus "dum in urbe magis indies "creſcebat; raro tamen adhuc "de medicina ipſa, ejuſque pro-"feſſoribus, tanquam *de re hu-"mili et abjecta* nimis, apud "auctores mentio occurrit [1]". Hoc ſane medicina cum aliis artibus commune habuit, ut ſerius ac difficilius a Romanis reciperetur; ſed non inde ſequitur, cum ſemel admiſſa fuerit, pro *re humili et abjecta* fuiſſe habitam. Contrarium certe ex iis, quae poſtea dicemus, manifeſto apparebit. Porro etſi chirurgiae exercendae rationem Graecam Romani primo improbaverint, ut ex Plinii verbis de Archagatho ſupra allatis intelligimus; nec ipſum tamen Archagathum, nec alios

[1] Differt. p. 8.

quoſ-

quoſcunque medicos, eadem ſeveritate, qua artium quarundam aliarum profeſſores, unquam tractaſſe videntur. *Rhetorica*, inquit Suetonius, *apud nos, perinde atque grammatica, fere recepta eſt, paulo etiam difficilius; quippe quam conſtet nonnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium ſit, vetus ſenatusconſultum ſubjiciam :* CAIO FANNIO STRABONE MARCO VALERIO MESSALLA CONSULIBUS, *Marcus Pomponius praetor ſenatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de philoſophis, et de rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt : Ut Marcus Pomponius praetor animadverteret, curaretque, uti ei e republica fideque ſua videretur, uti Romae ne eſſent* [1]. Factum eſt hoc sc. anno urbis conditae DXCII annos nimirum ſeptem et quin-

[1] Lib. De clar. rhetor. c. 1.

quaginta

quaginta poſtquam Archagathus Romam advenerat. Conſtat igitur ex his Suetonii verbis philoſophos ac rhetores Roma pulſos fuiſſe. Quod ſcriptis autem nonnulli tradiderunt, idem medicis quoque iis temporibus accidiſſe ; id commentum eſſe, *nulla veterum annalium fide, nullis antiquorum monumentorum indiciis* confirmatum, oſtendit doctiſſimus Meadius [1].

Sed pergit V. R. " Neque " praeter *unum Archagathum*, " cuivis unquam medico ante " J. Caeſaris aetatem jus civita- " tis datum reperio : primuſque, " ut opinor, circum idem tem- " pus *Aſclepiades quidam* me- " dendi arte celebris fuit; qui " cum rhetor primo fuiſſet [2], " nec remedia noſſet, quum rhe-

[1] Orat. Harv. p. 8. [2] Plin. Hiſt. xxv. 2. xxvi. 3.

" toricam tamen ſibi minus " quaeſtuoſam inveniſſet, ut ſa- " gaci erat ingenio, ad medici- " nam ſe convertit, ac famam " inde magnam atque auctori- " tatem adeptus, in Ciceronis [1] " deinceps amicitiam et famili- " aritatem eſt receptus [2]". Vix ullos ex Graecia medicos poſt Archagathum Catonis aetate Romam veniſſe, ex iis, quae ſupra diximus [3], veri admodum ſimile videtur. Catonem autem *anno urbis* DCV. *obiiſſe* narrat Plinius [4]. Ex quo tempore ad diſputationem illam inter ſummos viros de arte dicendi, quam in libris *De oratore* inducit Cicero, anni ſeptem et quinquaginta ſunt elapſi; quod ex Philippi conſulatu apparet, quo anno eam habitam fuiſſe fingit [5], cum ipſe adhuc *puer*

[1] De orat. L. 1. c. 14. [2] Differt. p. 8. [3] Pag. 15,
[4] Hiſt. Lib. xxix. c. 1. [5] Lib. 1. c. 7.

eſſet,

eſſet, ut ad Atticum ſcribit[1]. Quare non de Ciceronis, ut ait V. R. ſed ſua ipſius cum Aſclepiade amicitia, verba illa Craſſi intelligi debent: *Neque vero Aſclepiades is, quo nos medico, amicoque uſi ſumus, tum, cum eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipſo, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae*[2]. Porro non ut de re nova, et quae tum fieri incipiebat, hic loquitur Craſſus. Neque ſane dubitandum eſt, eum *famam magnam atque auctoritatem adeptum fuiſſe*, priuſquam in Craſſi *amicitiam et familiaritatem reciperetur*. Habemus igitur hic medicum illuſtrem, et magni nominis apud Romanos, intra annos ſexaginta poſt mortem Catonis; et qui ea de cauſa *ad medi-*

[1] L. xiii. ep. 19. [2] L. i. c. 14.

*cinam ſe convertit*, quia *magis quaeſtuoſam, quam rhetoricam invenerat*. Haud contemnenda igitur, ut videtur, iis temporibus medicae artis praemia Romae fuerunt. At quibus ? Serviſne ? Nihil minus. Hi enim in familiae valetudine curanda occupati, ſine conceſſu domini nihil lucri aliunde ſibi corradere potuerunt. Praemia igitur, quibus Aſclepiades movebatur, ea medicorum, qui artem publice exercebant, ſine dubio fuere. Praeterea quinam erant iſti medici, quos eloquentia viciſſe Aſclepiadem dicit Craſſus ? Num ſervos fuiſſe credamus ? Cum ſervis, ut opinor, amicum vix comparare voluit. Ad haec, *Graecia et Aſia nondum erant ſubactae*. Nondum igitur ex V. R. ſententia *principes viri Graeculos* iſtos *ſervos, medicinae peritos, conquire-*

*re*

*re ſibi, ac omni ſtudio coëmere coeperunt.* In ſumma, quod Cato praevidit ac timuit, non diu poſt mortem ejus accidiſſe videtur. Graeci enim medici jam ſe Romam contulere. Et ſicut aliis Graecorum artibus Romani hiſce temporibus adſueſcere, ita medicinae quoque illorum conciliari coeperunt. Hinc medica ars magis magiſque indies prae aliis facta eſt quaeſtuoſa. Quod cum Aſclepiades, vir *ſagacis ingenii*, percepit, arte dicendi relicta, ad hanc ſe convertit. At paucis deinceps annis, cum jam luxus ac deliciae una cum opibus Romae quotidie creverunt, principes viri omne genus ſplendoris et lautitiae affectantes, ſervos medicos in uſum ſuum privatum comparare, ac domi ſecum habere voluerunt; quorum exemplum etiam,

ut

ut fit, alios inferioris ordinis homines cito imitatos fuiſſe veriſimile videtur. Non igitur ſervi erant, qui Graecorum medicinam primi Romam attulerunt; ſed poſtquam ab aliis, qui ſponte illuc advenerant, allata fuit, atque approbata, proceres Romani, ut Graecos haberent medicos, qui ſemper ſibi praeſto adeſſent, ſervos hac arte peritos coëmere incipiebant. Quare neque de tempore, quo florere coepit Aſclepiades, cum V. R. conſentire poſſum; nec cum *primum eum*, poſt Archagathum, apud Romanos *medendi arte celebrem fuiſſe* cenſeat. Etenim alios tunc Romae medicos fuiſſe neceſſe eſt, quorum opibus, arte ſua comparatis, ad illam ſe convertere primum incitatus fuit, et quibuſcum poſtea de artis principatu contendit; etſi nomi-

na

na eorum temporis injuria ad nos haud pervenerint. Neque ea, quae de tempore, quo floruit Aſclepiades, paulo ſupra diximus, Plinio omnino repugnant, qui *aetate Magni Pompeii* collocat [1], et *legatos et pollicitationes Mithridatis regis ſpreviſſe* ſcribit [2]: ad annos enim centum et quinquaginta vitam produxiſſe fertur [3]. Proinde vir hic tantopere celebratus multos diſcipulos atque auditores habuit, quorum nomina ex antiquis ſcriptoribus Clericus [4] et Fabricius [5] inter alios collegerunt, ad quos brevitatis cauſa lectorem remitto. Num hos etiam ſervos fuiſſe contendet V. R? Optime, ut arbitror, vir tantus in ſervis inſtituen-

[1] Hiſt. Lib. xxvi. c. 9. [2] Ib. vii. 37.
[3] Fabric. Bibl. Gr. Vol. xiii.
[4] Hiſt. De la med. Par. II. l. 3. c. 11.
[5] B. Gr. Vol. xiii.

dis

dis bonas horas collocaſſe ſe exiſtimaſſet.

At ſi V. R. audiamus, " Romae interea tanto ſemper in " dedecore ars tota jacuit, ut ſolum eam Graecarum artium, " magno licet fructu propoſito, " *Romani gravitate ſua indignam* judicarint; pauciſſimique illi Quiritium, qui quaeſtu " vix tandem allecti, eam non " niſi ſero attigerint, *tanquam* " *ad Graecos transfugae habebantur* [1] ". Haec, tanquam Plinii auctoritate dicta, exponit, ad quem in margine lectores remittit. Sed miretur ſane aliquis, cum in fine *Diſſertationis* ſe nihil aliud, quam *hiſtoricam diſquiſitionem* in ea ſcribenda propoſuiſſe ſibi confirmet, curam attentiorem in ſcriptis ve-

[1] Differt. p. 8.

terum

terum citandis atque explicandis eum plerumque non adhibuiſſe. Non enim dicit Plinius (ut ille nobis perſuadere ſtudet) medendi artem *Romanos gravitate ſua indignam judicaſſe*; nec, qui eam attigerint, *tanquam ad Graecos transfugas fuiſſe habitos*. Quo autem mens Plinii clarius appareat, verba illius hic adſcribam. *Solam*, inquit, *hanc artium Graecarum nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu: pauciſſimi Quiritium attigere, et ipſi ſtatim ad Graecos transfugae; imo vero auctoritas aliter quam Graece tractantibus, etiam apud imperitos, experteſque linguae, non eſt; ac minus credunt, quae ad ſalutem ſuam pertinent, ſi intelligunt* [1]. Nec vox *indignam* hic legitur; neque voces *ad*

[1] Hiſt. L. xxix c. 1.

*Graecos transfugae* eo ſenſu dicuntur, quem is confingit. Etenim illud tantum vult Plinius: pauciſſimos Romanorum rei medicae operam dediſſe; et qui de ea ſcriptis tractaviſſent, non ſua, ſed Graeca lingua id facere elegiſſe. Cujus rei hanc cauſam adducit; quia *auctoritas aliter, quam Graece eam tractantibus, non erat.* Atque ita eruditiſſ. Harduinus verba haec explicat. *Quoniam ſpreto*, inquit, *Latino ſermone, Graece etiam homines Romani ſcripſerunt: ut, Sextius Niger, aliique*[1].

Sed pergit auctor: " Apud il-
" los [*Romanos*] bellicae virtu-
" tis laus et ſplendor primum
" ſemper locum obtinuiſſe, pri-
" mamque ad gloriam commen-
" dationem praebuiſſe videtur;

[1] Ad locum.

" qui

" qui vero in toga potius foro-
" que verſari, et pacatiora ſequi
" ſtudia maluerunt, *alii*, ut ait
" Cicero, *ſe ad philoſophiam, a-*
" *lii ad jus civile, alii ad elo-*
" *quentiam applicuerunt* [1]. Hiſce
" ſe artibus ingenuus quiſque ex-
" ercuit; hiſce ſolis viam ſibi ad
" opes, famam, honores patefe-
" cit [2] ". Artes hic a Cicerone memoratae apud Romanos tunc temporis maxime celebratae fuere, atque iis nobiliſſimi adoleſcentes ſe praecipue applicuerunt. Eamque ob cauſam de illis potiſſimum mentionem facit, et ſummorum virorum exemplis filio commendat. Sed non inde ſequitur, *Romae interea in dedecore medendi artem totam jacuiſſe*, ut V. R. paulo ante affirmavit; aut Ciceronem eam

[1] De offic. L. i. c. 32. [2] Differt. p. 8.

ingenuo homine prorſus indinam judicaſſe. Contrarium certe ex eodem Ciceronis libro manifeſtum apparet, ubi *medici laudem* cum ea *imperatoris*, et *oratoris* conjungit. *Sed nec medici*, inquit, *nec imperatores, nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu et exercitatione conſequi poſſunt* [1]. Quis jam credet laudem ſervili arte comparatam cum ea imperatorum, atque oratorum, Ciceronem commemorare voluiſſe? Imo inter liberales artes ab eo medicinam collocari ſtatim videbimus: ſed prius auctorem noſtrum audiamus.

" Quem vero, *inquit*, unquam " Romanorum ad medicinam ſe- " ſe applicuiſſe, quemve civem

[1] De offic. L. i. c. 18.

" ex

" ex eo ſtudio laudem et glori-
" am reportaſſe legimus? quod
" tamen *ordini, cui convenit* (ſer-
" vis utique et libertis) *hone-*
" *ſtum eſſe*, Cicero ipſe agnoſcit'". De medicis Romanis dicendi locus magis idoneus infra ſe offeret. Sed non minus hic in Ciceronis verbis, quam paulo antea in iis Plinii, exponendis V. R. lapſus fuiſſe videtur .Cicero enim in eo loco, unde haec deſumta ſunt, *de artificiis et quaeſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint* [2], tractare proponit. *Liberale* autem dicitur, quod *libero homine dignum* eſt. Sic *artes liberales* inde nomen habuiſſe a Seneca docemur [3]. Hinc Cicero etiam *liberales doctrinas atque ingenuas* alibi conjungit [4].

[1] Differt, p. 8.
[2] De offic. L. i. c. 42.
[3] Epiſt. 88.
[4] De orat. L. iii. c. 33.

Ex

Ex contrario igitur *ſordidum*, ut opponitur *liberali*, id denotare neceſſe eſt, quod *ſervo convenit*. Atque hoc ſenſu Ciceronem hic *quaeſtus liberales* et *ſordidos* intellexiſſe, ipſe plane ſignificat. Nam *ſordidis* attribuit, quos *illiberales* eſſe dicit, *auctoramentum ſervitutis, turpes, nec quidquam ingenuum habere*. Contra autem inter *liberales* ponit, qui *honeſti* ſunt, et *laudari poſſunt*; et unum ſpeciatim, nempe agriculturam, qua *nihil libero homine dignius* eſſe pronunciat. *Sordidos* itaque appellat, non tantum qui honeſto natura, hoc eſt virtuti, repugnent; ſed etiam decoro, quo id omne continetur, quod in civili vita honeſtum ac laudabile homines opinantur. Cuinam autem generi *medicinam* Cicero adſcribat, ex ipſius enumeratione ſtatim apparebit. A

*ſordidis*

*ſordidis* enim incipiens, *Primum*, inquit, *improbantur ii quaeſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum et foeneratorum. Illiberales autem et ſordidi quaeſtus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant; nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur: nec vero quidquam eſt turpius vanitate. Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur: nec vero quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimeque artes probandae, quae miniſtrae ſunt voluptatum*; cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, *ut ait Terentius. Adde his, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumque ludum*

*ludum talarium.* Hactenus de ſordidis: jam ad *liberales* venimus. *Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum; hae ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtae. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna et copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda; atque etiam, ſi ſatiata quaeſtu, vel contenta potius, ut ſaepe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur optimo jure poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Hanc quaeſtuum

ſtuum, ſive artium, diviſionem tam clare et aperte Cicero exponit, ut mirum profecto videatur eam quenquam effugere potuiſſe. Nam cum duo mercatorum genera conſtituat, commodius certe de illis conjunctim agit, quam ſi in diverſis orationis partibus ſeparatim illud feciſſet. *Medicinam* autem una cum *doctrina rerum honeſtarum* inter liberales artes recenſet. Neque V. R. ut opinor, doctrinam rerum honeſtarum ſervis convenire unquam contendet, Quid, quod vox *ordo* de civibus tantum Romanis proprie adhiberi ſolebat, qui in tres ordines diſtribuebantur? Igitur cum Cicero ſemel de libertinis hominibus loquens, *modeſtum ordinem* eos appellavit [1]; *Quia* ordinem *dixit*, *equitum Romanorum ordinem*

[1] In Verr. L. i. c. 124.

 *dici*,

*dici, quoſdam putaſſe*, notat Aſconius. Addit tamen: *Sed libertinos ſignificat, quorum non conditionem, ſed more ſuo, quaſi honeſtorum, ordinem vocat* [1]. Ex his Aſconii verbis vocem *ordo* Ciceronis tempore, cum de ſtatu hominum diceretur, ita peculiariter ingenuis civibus attribui ſolitam fuiſſe liquet, ut nonnulli haud ita multo poſtea, quod libertinis hoc loco tribuerat, in illum errorem fuerint inducti, quaſi equites ſignificaſſet; quia non tam *ordinem*, quam *conditionem* libertinorum dicere mos fuit. At *more ſuo*, hoc eſt oratoris, ut cauſae ſuae ſerviret, id a Cicerone factum obſervat. Quiſnam igitur ſibi perſuadere poterit, Ciceronem, dum filio de officiis praecepta

[1] Ad locum.

tradat,

tradat, et quid decorum aut indecorum, pro diverſo hominum ſtatu ac loco, in vita ſit, eum doceat, ita recepta et communi vocis iſtius ſignificatione abuti voluiſſe, ut de ſervis uſurparet, cum nulla iis gratificandi cauſa omnino ſubeſſe poterat ?

Sed enim quid ſequentibus verbis auctor ſibi velit, Oedipo quodam conjectore, qui nobis explicet, opus eſſe videtur. " Ne-
" que mirum ſane, *inquit*, vete-
" res illos, qui liberalium arti-
" um tractationem ad ſervos mi-
" nime pertinere arbitrabantur,
" atque ab iis prorſus ſtudiis,
" quibus ipſi dare operam ſole-
" bant, ſervos legibus arcebant,
" medendi artem *a ſervis omni-*
" *no occupatam, atque admini-*
" *ſtratam*, tanquam illiberalem
" ac ſordidam, rejeciſſe [1] ". Ser-

[1] Diſſert. p. 9.

vos autem, quo minus liberales artes tractarent, legibus prohibitos fuisse, duorum scriptorum testimoniis, in margine citatis, ostendit. Prius est ex Euripide:

Οὐ χρή ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἐλευθέρας
γνώμας διώκειν [1].

Posterius ex Terentio sumitur:

*Servum hominem causam orare leges non sinunt* [2].

Verum quid ad propositum suum hinc V. R. exculpet? Uterque enim scriptor ad Atticorum, non ad Romanorum mores respicit. Quomodo igitur ex iis demonstrari possit, Romanos medendi artem, tanquam illiberalem ac sordidam, rejeciisse, quod a servis occupata fuit, me sane omnino fugit. Porro quinam fuerint *veteres illi*, qui de hac arte ita judicaverint, nos non docet;

[1] Antiop. v. 83. [2] Phorm. ii. 1. 26.

nec

nec facilis quidem eſt conjectura. Ciceronem profecto inter liberales et honeſtas artes eam duxiſſe, jam probavimus.

Sed jam ſe revocat V. R. et cum *medendi artem a ſervis* omnino *occupatam, atque adminiſtratam,* proxime dixerat; " Haud tamen negandum eſt, " *inquit,* quin cum ſervulis hiſce " medicinam exercentibus, alii " quoque ſeſe conjunxerint Grae- " culi eſurientes, qui quaeſtus " cauſa a Graecia Romam efflu- " xerint, liberae fortaſſe, ſed hu- " milis certe atque abjectae con- " ditionis; quippe gens illa om- " nis tanto Romae in contem- " tu habita eſt, ut nomen ipſum " *Graecus* [1], tanquam contume- " lioſum quiddam et opprobrii " plenum, jactitare plebs, atque

[1] Plutarc. in vit. Cic.

" in

"in ore habere ſoleret[1]". Graecos igitur medicos non omnes ſervos fuiſſe, ſed nonnullos ſaltem liberae conditionis, V. R. tandem concedit. Quomodo autem hi poſteriores *cum ſervis ſe conjunxiſſe* dicendi ſunt? Graecorum medicinam a liberis hominibus Romam prius fuiſſe allatam, quam mos iſte ſervos medicos conquirendi atque coëmendi obtinuiſſet, ſupra oſtendimus. Praeterea liberi ſua ſponte, ſervi non niſi coacti, illuc venerunt. Nec artem ſuam una exercuere. Haud alia agitur ratione, quantum video, liberi *cum ſervis ſe conjunxiſſe*, dici poſſunt, niſi quod utrique ſimul Romae fuerint. Porro quo argumento *humilis atque abjectae conditionis* hos liberos medicos fuiſſe de-

[1] Diſſert. p. 9.

monſtrat?

demonſtrat? Scil. *gens illa omnis tanto Romae in contemptu habita eſt, ut nomen ipſum* Graecus, *tanquam contumelioſum quiddam et opprobrii plenum, jactitare plebs, atque in ore habere ſoleret.* Sed quid hoc ad medicorum conditionem? Si mos eſſet Romanae plebeculae *gentem omnem* Graecorum ita tractare, cur abjectae potius, quam honeſtae conditionis illos fuiſſe, hinc concludere oportet? Certe qui ſecum cogitet, quo honore apud Graecos ars medica ſemper habebatur; quanta cura in eadem familia, filiis a patribus tradita, retinebatur; et quo denique legum praeſidio, ne in ſervorum manus veniret, muniebatur: qui haec, inquam, cogitet, non obſcuri, ſed honeſti loci homines fuiſſe, qui apud Graecos plerumque medicinae operam dabant, ut credat,

dat, facillime, ni fallor, inducetur.

Sed ea, quae ſequuntur, audia-
" mus. Hos vero *omnes* J. Caeſar,
" *ut urbi bellis civilibus exhauſtae*
" *frequentiam priſtinam red-*
" *deret, civitate donavit*[1]. At-
" que haec prima medicis ad
" honores janua patefacta, hoc
" primum iis dignitatis funda-
" mentum jactum, videtur; qui
" apud alios deinceps principes
" gratia ſaepe valentes, opibuſ-
" que inde et variis immunita-
" tibus aucti, ex ſervili atque
" ignobili ſtatu ad honeſtum tan-
" dem, atque ex tenebris illis
" et obſcuritate in lucem paula-
" tim et ſplendorem quendam
" evaſerunt[2]". Benigniorem jam cauſae medicorum auctor noſter ſe oſtendere incipit. Graecorum

[1] Suet. J. Caeſ. c. 42. [2] Differt. p. 9.

*quoſdam*

*quoſdam* liberae conditionis fuiſſe proxime agnovit; nunc vero Romana civitate *omnes* donatos fuiſſe, quaſi ex Suetonii auctoritate, dicit. Sed non ſemel hic a mente Suetonii aberrat. Etenim aliam hujus rei cauſam tradit Suetonius, quam V. R. ei aſſignat. Non enim dicit *ob urbem bellis civilibus exhauſtam*, ſed *ob cives in tranſmarinas colonias diſtributos*, Caeſarem id conſilium cepiſſe. Sed operae pretium erit hiſtorici verba referre. *Octoginta*, inquit, *civium millibus in tranſmarinas colonias diſtributis, ut exhauſtae quoque urbis frequentia ſuppeteret, omnes medicinam Romae profeſſos, et liberalium artium doctores, quo libentius et ipſi urbem incolerent, et ceteri appeterent, civitate donavit.* Neque *omnes* tunc Romae *medici* Graeci, ut V. R. au-

 tumat,

tumat, hoc beneficium acceperunt; ſed *profeſſores* tantum, quos non fuiſſe ſervos ſupra probavimus. Itaque *domeſticos et familiares medicos* hos Seneca appellat[1], ut a *profeſſoribus* diſtinguat. Proinde Caeſarem, cum medicos civitate donavit, nullam ſervorum rationem habuiſſe, ex fine, quem hoc facto ſibi propoſuit, manifeſto conſtat. Is autem, ut docet hiſtoricus, duplex fuit: alter, ut medici, qui tunc Romae artem exercebant, *libentius urbem incolerent*; alter, ut *ceteri* eam *appeterent*. At ſervi, qui non ſui juris, ſed omnino in dominorum poteſtate erant; nec relinquere, nec appetere, urbem pro arbitrio poterant; ſed in omnibus voluntati dominorum obſequi neceſſario cogebantur. Liberorum autem

[1] De conſtant. c. 1.

longe

longe alia erat ratio, quos penes erat, ubicunque vellent, lares collocare. Ut hi igitur in urbe jam exhauſta manerent; aliique, patria ſua, neceſſariis, et cognatis relictis, Romam venirent, ſedeſque fortunarum illic ponerent; jure civitatis eos allicere neceſſarium videbatur. Atque hanc diſtinctionem inter *medicae artis profeſſores* et *ſervos medicos* plane indicat doctiſſimus Meadius, cum ad hunc Suetonii locum reſpiciens ita ſcribit: *Neque diu poſt, cum jam quotidie quaeſtus cauſa ex Graecia Romam adirent medici, Julius Caeſar, in cujus manus tunc temporis ſumma rerum poteſtas devenerat, omnes hanc artem profeſſos civitate donavit.* In ſervos autem id beneficium fuiſſe collatum, vel ſuſpicari, *ut cum viro inter literatos principe*

*loquar*, nimia eſt ſtultitia [1]. *Servos* hic *artis profeſſoribus* opponit; quare ut *ſervi medici* intelligantur, ratio ſententiae omnino requirit. Non meminit quidem conſuetudinis iſtius apud Romanos ſervos medicos coëmendi, qui valetudini eorum privatim adminiſtrarent; neque argumenti natura, quod in *Oratione* ſua tractat, ut id feciſſet, poſtulaſſe videtur. Nam *honores*, ut ait, *medicinae recenſere, et per quos maxime reges aut principes, et quos apud populos creverit ſalutaris hujus profeſſionis gloria, in brevi quaſi tabella proponere* inſtituens [2]; cum ad Romanorum tempora devenit, eorum tantum rationem ſibi habendam eſſe duxit, qui artem apud illos *profeſſi ſint*, ac pub-

[1] Orat. Harv. p. 9. [2] Ibid. p. 3.

lice

lice exercuerint. Atque hos liberos homines fuiſſe vere affirmat. Extra propoſitum ſuum exiſtimavit penetrare in aedes privatas, rebuſque domeſticis ſe immiſcere; aut quot ſervorum genera viri illuſtres ac divites alerent, quibuſve officiis et miniſteriis occuparent, conſiderare. Haud ignoravit vir eruditiſſimus, ſervos medicos, aeque ac grammaticos, rhetores, philoſophos, omniumque liberalium artium peritos apud illos inveniri potuiſſe; ſed cum iis medicis illi negotium fuit, quibus cives Romani communiter ſalutis ſuae curam commiſerunt, et in quos viciſſim honores ac praemia contulerunt. Hos igitur Romanorum medicos appellat; et contra eorum calumnias, qui ſumma injuria in ſervitutem raperent, cauſa liberali aſſerit. Interim

tamen

tamen horum nonnullos olim ſervos fuiſſe fatetur, ex quorum numero *Antonium Muſam* nominatim memorat [1]. Mirum itaque alicui merito videri poteſt, quid doctis quibuſdam viris in mentem venerit, ut tam acriter contenderent, omnes fere medicos apud Romanos ſervos fuiſſe; cum ex contrario nulli, niſi liberi, medendi artem profiteri, aut honores et immunitates legibus ac principum indulgentia ei conceſſas, jure ſuo recipere poſſent. Sed cauſam erroris hinc ortam fuiſſe, conjectari licet; quod ad diſcrimen inter *medicinae profeſſores*, et *ſervos* vel *domeſticos medicos*, non attenderint, neque diverſam eorum in arte ſua exercenda rationem ſecum reputaverint.

[1] Orat. Harv. p. 9.

Quam

Quanquam autem ab hoc tempore medicis ad honores januam patefactam fuiſſe V. R. agnoſcat, qui *ex ſervili atque ignobili* ſtatu ad honeſtum tandem evaſerunt; artem nihilominus *vix unquam inter liberales habitam fuiſſe* opinatur. Nam ita verbis proxime ſequentibus ſcribit: " Artem autem ipſam, " magnis licet privilegiis muni- " tam poſthac atque ornatam, " vix unquam tamen, ut mihi " videtur, inter liberales cenſe- " ri; contra vero, apud juris- " peritos a ſtudiis liberalibus di- " ſtingui ſemper et ſejungi re- " perio [1]". Atque ita rem ſe habuiſſe, duobus teſtimoniis in margine oſtendit. Quorum alterum eſt Ulpiani: *Sed etſi ſalarium alicui decuriores decre-*

[1] Diſſert. p. 9.

*verint*;

*verint ; ut puta, ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum, vel ob medicinam* [1]. Alterum eſt ex reſcripto impp. Dioclet. & Maxim. *Exceptis, qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt, et qui medendi cura funguntur* [2]. Ex alia autem ejuſdem Ulpiani lege, quaenam juriſconſultis fuerint artes liberales, docemur. *Praeſes*, inquit, *provinciae de mercedibus jus dicere ſolet, ſeu praeceptoribus tantum ſtudiorum liberalium. Liberalia autem ſtudia accipimus, quae Graeci* ἐλευθέρια *appellant : rhetores continebuntur, grammatici, geometrae* [3]. Quid igitur ? num omnes aliae artes pro illiberalibus habendae ſunt, quae hic non memorantur ? Si ita revera ſit, philoſophia ac

[1] L. 4. ff. De decret. ab. ordin. fac.
[2] L. 1. C. De decret. decur.
[3] L. 1. pr. ff. De extraord. cogn.

juriſpru-

juriſprudentia illiberales erunt, perinde ac medicina. Sed nihil minus cogitavit Ulpianus. Nam ſtatim adjicit : *Medicorum quoque eadem cauſa eſt, quae profeſſorum, niſi quod juſtior ; cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant : et ideo his quoque extra ordinem jus dici debet.* Neque minus profecto Seneca ex liberalium artium numero medicinam excludit, cum ait : *Pueriles ſunt hae artes, quas* ἐγκυκλίους *Graeci, noſtri liberales vocant* [1]. At in alio loco ita ſcribit : *Artes pleraeque, imo ex omnibus liberaliſſimae, habent decreta ſua, non tantum praecepta : ſicut medicina* [2]. Quare medicinam ab artibus liberalibus ſic diſtinguit Ulpianus, ut eis praeponat ; et

[1] Epiſt. 88. [2] Epiſt. 95.

Senecae ita non eſt liberalis, ut ſit *liberaliſſima.* Cum per artes autem liberales uterque eas intellexiſſe videatur, quibus ingenui pueri in ſcholis inſtitui ſolebant, non mirandum eſt ſane medicinam inter illas neutrum repoſuiſſe. At Cicero, quando de artibus generatim tractans, quae liberales ſint, quae ſordidae, docere proponit, medicinam liberalibus annumerat, ut ſupra demonſtratum fuit. Et poſterioribus quidem ſeculis juriſconſultos tam lato ſenſu liberales artes accepiſſe, ut medicinam quoque, et juriſprudentiam eo nomine complecterentur, ex Juſtiniani conſtitutione apparet, qua imperator ſic praecipit : *Annonas, quae* [ forſan *quas* ] *grammaticis, ac oratoribus, vel etiam medicis, vel juriſperitis antea dari ſolitum erat, et in poſterum*

*rum ſuam profeſſionem ſcilicet exercentibus erogari praecipimus, quatenus juvenes liberalibus ſtudiis eruditi per noſtram rempublicam floreant*[1].

CETERUM ne quid momenti, quod ad cauſam ſuam tuendam atque ſuſtentandam auctor noſter adduxit, omiſiſſe videamur; non ab re erit hic paucis conſiderare, quod in principio operis legimus, cum *Juris Civilis Profeſſorem Regium* ſibi aſſenſiſſe ait, " propterea quod apud vete-" res juriſconſultos in *ſervorum* " *familiis medicos ſemper recen-*" *ſeri* animadvertiſſet[2]". Ita lex, quam in margine citat, medicorum inter alios ſervos mentionem facit: *Ceteris autem aeſtimationem praeſtet contingentium iis partium; id eſt, ſervis*

[1] Pragmat. ſanct. Juſt. c. 22. [2] Differt. p. 4.

*quidem et ancillis majoribus decem annis, ſi ſine arte ſint, viginti ſolidis aeſtimandis ; ſin autem artifices ſint, uſque ad triginta ſolidos aeſtimatione eorum procedente : exceptis notariis et medicis utriuſque ſexus; cum notarios quinquaginta ſolidis aeſtimari velimus, medicos autem et obſtetrices ſexaginta*[1]. Sed quid hinc ad cauſam ſuam confirmandam V. R. extorquebit? Servos medicos inter alios ſervos a juriſconſultis commemorari, nemo ſane mirabitur. Imo mirum potius videretur, ſi mentionem illorum nuſquam feciſſent. Nihilque omnino refert, an *ſemper* ab iis in ſervorum familiis recenſeantur, necne : ut revera non recenſentur in *l. 65. ff. De legat. et fideicommiſſ.* III. Ex

[1] L. 3. pr. C. Commun. de legat. &c.

lege

lege igitur a V. R. laudata morem iſtum ſervos medicos alendi, uſque ad Juſtiniani tempora, ex cujus reſcripto ea ſumitur, apud Romanos manſiſſe diſcimus; ſed *artem medicam non niſi a ſervis atque extremae ſortis hominibus Romae tractatam fuiſſe*[1], quod paulo ante aſſeveraverat, nequaquam hinc inferri poteſt.

Sed ad locum, unde digreſſi ſumus, revertimur. " Atque " haec jam, *inquit*, quae de me- " dicis Romae degentibus expo- " ſui, non conjectura modo pro- " babilia, ſed vera omnia ac cer- " ta plane eſſe, ex conſtanti au- " ctorum omnium fide compro- " bari facile poteſt: *&c.* ad rem " itaque probandam accedamus[2]. Hactenus V. R. argumenta, quibus *medendi artem apud Roma-*

[1] Differt. p. 4. [2] Differt. p. 9.

*nos a ſervis omnino*, aut *fere* ſaltem *occupatam fuiſſe atque adminiſtratam*, demonſtrare conatus eſt, conſideravimus. Quorum pleraque omnino falſa, et reliqua tam levia ac frivola eſſe, ut nihil minus, quam id, cujus cauſa adferuntur, probent, plane, ni fallor, oſtendimus. Num melius igitur veterum ſcriptorum teſtimoniis res confirmari poſſit, jam videbimus.

" PERVULGATA quidem, *in-*
" *quit*, eſt illa de *L. Domitio*
" hiſtoria[1], quem, Corſinio ca-
" pto, ne in Caeſaris poteſtatem
" veniret, *medico ſervo* ſuo im-
" peraſſe legimus, ut venenum
" ſibi daret; expertum tamen
" victoris clementiam, *medicum*
" ſtatim *manumiſiſſe*, quod pru-
" dens minus noxium temperaſ-

[1] Suet. Ner. c. 2. Plut. in Vit. Cat.

" ſet.

" ſet. Cleanthem quendam, *Ca-*
" *tonis medicum et libertum,*
" domini manum obligaſſe [1], at-
" que inteſtina moribundo re-
" poſuiſſe, vulnuſque conſuiſſe,
" Plutarchus narrat [2]". Quocum hic contendere, aut cujus ſententiam oppugnare ſe V. R. exiſtimet, prorſus neſcio. Quis enim medicos quoſdam apud Romanos ſervos fuiſſe unquam negavit? Hoc Domitio et Catoni cum multis aliis ſenatoribus tunc temporis ſine dubio commune fuit, ut inter ſervitia etiam medicos haberent. Sed qua ratione ex eo colligi poteſt, totam fere medendi artem in ſervorum manibus Romae fuiſſe? De ſervis quibuſdam, qui Catonis ſenioris aevo, aut ſaltem non multo poſt, ex Magna Graecia, aut Sicilia

[1] Plut. in Vit. Caton. [2] Differt. p. 10.

Romam

Romam adveniſſent, Graecamque medicinam ſecum attuliſſent, audire expectavi: nam ante Graeciam et Aſiam ſubactas, liberos homines, ex Graecorum gente, medendi artem Romae exercuiſſe ſupra obſervatum fuit [1]. Nihil autem hujuſmodi a V. R. profertur; ſed loco ejus, centum annos poſt mortem Catonis, pronepotem illius libertum medicum, et Domitium ſervum quendam ejuſdem artis peritum habuiſſe docemur. Cum nihil igitur exempla haec ad inſtitutum ejus faciant, ad reliqua progrediemur.

" Auguſtus, *inquit*, magna " quadam annonae caritate ſervitiorum partem, exceptis *medicis et praeceptoribus*, ex urbe expuliſſe a Suetonio dicitur [2]. Neſcio quo fato accide-

[1] Vid. ſupra. p. 44, 45. [2] Differt. p. 10.

" rit,

rit, ut in veterum ſcriptorum verbis citandis, atque exponendis, toties erroribus implicetur ; ſed multa hujus rei exempla jam obſervavi, atque hic iterum pro Suetonio Oroſium nobis obtrudit, qui factum illud Auguſti ita narrat : *Anno imperii* XLVIII. *adeo dira Romanos fames conſecuta eſt, ut Caeſar laniſtarnm familias, omneſque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, exceptis medicis et praeceptoribus, trudi urbe praeceperit*[1]. Oroſium autem non ſemper optima fide in verbis aliorum ſcriptorum recitandis uſum fuiſſe, viri eruditi dudum oſtenderunt[2]. Quod etiam ex hoc loco, cum eo Suetonii, unde ſua accepit, collato, perſpicue apparebit. Suetonii enim verba ita ſe habent : *Ma-*

[1] Lib vii. c. 1. [2] Vid. Voſſ. Hiſt. Lat. L. iii. c. 14.

*gna vero quadam ſterilitate, ac difficili remedio, cum venalitias et laniſtarum familias, peregrinoſque omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque ſervitiorum, urbe expuliſſet,* &c [1]. *Medicos* et *praeceptores* inter *peregrinos* hic ponit Suetonius ; Oroſius vero ordinem verborum immutando ita ſenſum pervertit, tanquam inter *ſervos* retuliſſet. Et auctor noſter mira quadam allucinatione, quaſi uterque idem dixiſſet, Oroſium ſequens, ad Suetonium lectores ſuos mittit. Sed nihil a cauſa ſua magis alienum, quam hunc Suetonii locum, proferre potuit. Nam ut *peregrinos medicos* a *ſervis* diſtinguit Suetonius ; ſic a *libertis* eos non minus fuiſſe diſtinctos, ex aliis ſcriptoribus intelligimus. Ita Cicero : *Peregrini et incolae offi-*

[1] In vit. Auguſt. c. 42.

*cium eſt, minime in aliena eſſe rep. curioſum*[1]. Liberti autem non in republica erant *aliena*, ſed in *ſua*; nam cives erant Romani, licet non pleno jure. Porro, ut docet Ulpianus, *Ex peregrino et cive Romana peregrinus naſcebatur*[2]. Sed filii *libertorum* pro *ingenuis* ducebantur, ut indicat Suetonius. *Ignarus*, inquit, *temporibus Appii, et deinceps aliquamdiu, libertinos dictos, non ipſos, qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos*[3]. Tantum igitur abeſt, ut medici, de quibus Suetonius hic loquitur, ſervi eſſent, prout V. R. ſtatuit, ut ne liberti quidem eſſe poſſent. Veriſimillimum quoque videtur, idem genus hominum Auguſtum in urbe retinuiſſe, quod antea J. Caeſar in eam invitaverat; et

[1] De offic. L. i. c. 34. [2] Ex corpore Ulp. t. 5. §. 8.
[3] In vit. Claud. c. 24.

hiſtoricum hic *peregrinos* appellaſſe, quos illic *medicinam profeſſos* dixerat.

" Extatque, *inquit*, ejuſdem " principis epiſtola, ad *Agrippinam neptem*, his verbis " ſcripta: *Mitto praeterea cum* " *eo ex ſervis meis medicum,* " *quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, ut retineret*[1]. *Antonium* " etiam *Muſam* (quem liberum " Sponius ingenuumque fuiſſe " exiſtimat) medicorum fere " omnium celeberrimum, annulo aureo et ſtatua aerea publice " donatum, Auguſti tamen *ſervum*, et *libertum* deinde fuiſſe " ex Dione[2] diſcimus[3]". Quid de exemplis hiſce *ſervi* ac *liberti medici* ſtatui oporteat, ex iis, quae paulo ante, de duobus iſtis ejuſdem generis, *Domitii*

[1] In Calig. c. 8. [2] L. liii. p. 517. Ed. Hanov.
[3] Diſſert. p. 10.

ſcil.

ſcil. et *Catouis*, diximus, ſatis intelligi poteſt. Ubinam autem Sponius Antonium Muſam *ingenuum* appellet, haud equidem invenio. Inter Graecos quidem medicos eum recenſet, qui Romam advenientes, et civitate donati, Romana nomina aſſumſerunt [1]; at ſervum nunquam fuiſſe, quod ſciam, non dicit. Sed praetermiſit hic V. R. quod multo magis ad rem facit; Auguſtum ſcil. cum ex ancipiti morbo ejuſdem Antonii Muſae opera ſanitatem recuperaſſet, non ei tantum, ſed omnibus etiam medicis *immunitatem* (ἀτέλειαν appellat Dio [2]) in poſterum conceſſiſſe. Num hos etiam ſervos fuiſſe dicet? Quodnam τέλος ſervi pendebant? quibuſve muneribus publicis ſubjiciebantur?

[1] Recherches curieus. Diſſert. xxvii. p. 429.
[2] Lib. liii. p. 517. Ed. Hanov.

Haec

Haec liberorum, non ſervorum onera fuerunt. Liberos igitur fuiſſe oportet, qui ab iis ſolverentur.

Sed auctor, qui nullum contumeliae et opprobrii genus, quo medici onerari poſſent, omiſiſſe videtur, aliud *abjectae eorum conditionis*, ut vocat, indicium ex lege jam ante citata [1] petit; qua *medicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum; ut ſequerentur ſe, neque opus facerent, poſtulaſſe dicitur.* " Ubi, " *inquit*, ex voce illa *imperantes* " abjectae medicorum conditio- " nis indicium quoddam elicere " poſſumus; quum *medico im-* " *perare* a veteribus dici ſolere " videtur, pro medicum adhi- " bere, ſeu advocare [2] ". Ceterum medici aegrotis *imperare*

[1] Vide ſupra, p. 23. [2] Differt. p. 11.

aeque

aeque dicebantur, atque ab illis *imperari*. Ita Seneca : *Si intraſſem valetudinarium exercitatus et ſciens, aut domum divitis, non idem imperaſſem omnibus per diverſa aegrotantibus*[1]. Nullum igitur, opinor, medicorum magis, quam aegrotorum, abjectae conditionis indicium ex hac voce elici poteſt. Uſus autem vocis ex annua medicorum mercede, vel ſalario, ortum habuiſſe videtur ; quo cum altera pars alteri fuerit obſtricta, medicus, ut advocatus veniret ; aegrotus, ut medici praeſcriptis obtemperaret ; inde verbum *imperare* utrinque adhiberi placuit.

Ab auctorum teſtimoniis ad inſcriptiones nunc ducimur. "Sed " non opus eſt, *inquit*, plura " auctorum teſtimonia colligere,

[1] De ira L. i. c. 26.

remque

" remque ſatis claram auctori-
" tatibus onerare, quae magna
" ſane copia ſuppetunt; extant
" et marmorum antiquorum *in-*
" *ſcriptiones* bene multae, ad
" hanc ipſam quaeſtionem perti-
" nentes, quarum paucas modo,
" ad argumentum meum pleni-
" us illuſtrandum, ex Grutero
" apponendas duxi [1]". Nomina his inſcriptionibus exhibita ſunt,

CELADVS MEDICVS CHIRVRG. *p.* 581.
EROS MEDICVS SPOSIANVS. *p.* 581.
EVYTCHVS AVG. LIB. NERONIANVS MEDICVS. *p.* 335.
Τ. ΑΙΛΙΟC ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC CΕΒΑCΤΟΥ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟC ΙΑΤΡΟC. *p.* 335.
M. RVFRIUS M. L. FAVSTVS MEDICVS. *p.* 464.

Ex his *Celadum* ſervum fuiſſe liquet, quod uxorem ſuam conſervam appellet. *Eros* quoque ejuſdem conditionis cenſebitur,

[1] Differt. p. 11.

quia

quia praenomine caret. Tres reliqui liberti dicuntur, et tamen *Eutycho* deeſt etiam praenomen. Omiſſio itaque praenominis non tam certum eſſe ſervi indicium videtur, ut doctiſſ. amicus ejus, *Juſtus Fontaninus*, contendit [1]. Atque haec ſunt clara iſta et luculenta teſtimonia, quibus *rem medicam apud Romanos in ſervorum fere manibus verſatam*, atque *medicorum conditionem ignobilem et ſervilem plane fuiſſe*, V. R. comprobat. Egregia ſane comprobandi ratio! Novem exemplis totam rem conficit, quorum etiam major pars, nempe quinque, non *ſervorum*, ſed *libertorum* ſunt. Libertos autem publice artem adminiſtraſſe, atque inter *profeſſores* habitos fuiſſe, nemo,

[1] Vid. Differt. p. 17.

quod ſciam, unquam denegavit. Quod et vetus quoque inſcriptio teſtatur, quam ex lapide, qui Avendici Helvetiorum etiam nunc extat, deſcripſit, et nuperrime edidit *J. Breval*.

NUMINIBVS AVG
ET GENIO COL. HEL
APOLLINI SACR
Q. POSTVM HYGINVS
ET POSTVM. HERMES LIB
MEDICI ET PROFESSOR
D. S. D[1].

*Libertos* fuiſſe hos *profeſſores* lapis plane indicat; quod in aliis quoque artibus ingenuis haud raro uſu veniſſe, ut profeſſores earum eſſent liberti, ex grammaticis et rhetoribus, quorum vitas Suetonius ſcripſit, invenimus. At partem eorum praecipuam non libertos, ſed a-

[1] Remarks on ſeveral Parts of Europe, Vol. ii. p. 44.

lios

lios liberae conditionis homines fuiſſe, ex iis, quae ſupra dicta ſunt, veriſimillimum videtur. Hinc veteres etiam ſcriptores, cum de medicis, rebuſque ad illos ſpectantibus, mentionem faciunt, homines ejuſmodi, qui nec ſervi, nec liberti eſſe potuerint, plane nonnunquam commemorant. Tales fuerunt *peregrini* iſti apud Suetonium, quos de ſtatu ſuo movere, et in ſervitutem abſtrahere, V. R. ſumma injuria conatus eſt. Idem quoque hominum genus intelligit Plinius, quando ait : *Traduntur* [Romani] *cum Graecos Italia pellerent, diu poſt Catonem, excepiſſe medicos* [1]. Quis jam ſomniare quidem poteſt, Romanos omnibus ſervis ſuis illius gentis, qui eo tempore adeo numeroſi

[1] Hiſt. L. xxix. c. 1.

erant, et tantam bonorum partem faciebant, hoc decreto ſe privare voluiſſe? Liberti autem, quacunque natione orti, cum ſemel civitatem fuerint adepti, inter Romanos cives cenſebantur, nec decretis in peregrinos factis omnino erant obnoxii. Medicos igitur, qui hic *excipiebantur*, nec ſervos, nec libertos, ſed liberae omnino conditionis fuiſſe, neceſſe eſt. Hunc Plinii locum quaſi in tranſitu tetigiſſe, ſatis eſſe putaſſem; ni doctiſſimus illius interpres, *Harduinus*, vocem *excepiſſe* novo quodam ſenſu, atque, ut mihi videtur, a ſerie orationis alieno, explicaſſet. Etenim in vocis Interpretatione dicit, *Excepiſſe* hic *nominatim appellaſſe medicos cum ceteris Graecis urbe pellendos* ſignificare. Et in Notis, *Excipere*, inquit, *hoc loco, non eſt demere, ſecernere*

*nere, vel eximere numero; ſed nominatim cavere. Cujus ſignificationis exempla plurima in jureconſultis occurrunt; atque in ipſo Cic. ad Q. Fratr. L. i. ep.* 1. Nominatimque lex *exciperet*, UT AD TEMPLUM MONUMENTUMQUE noſtrum CAPERE LICERET. Haec ille. Quod ad Ciceronem vero attinet, verbo *excipere* in loco laudato pro *eximere* plane utitur. Ad legem enim *de repetundis* reſpicit, qua cautum fuit, ne cui, qui in provincia cum imperio vel poteſtate erat, capere aut conciliare pecuniam liceret [1]. *Excipiebat* autem, vel *eximebat*, lex eas pecunias, quas civitates ad *templum* aut *monumentum* extruendum decernerent. At vox *noſtrum* neque in lege fuit, neque apud Cicero-

[1] Vid. Hotomann. in loc.

nem

nem illic legitur ; ſed cum paulo ante praeceſſerat, neſcio qua incuria hic infercitur. Eadem quoque ſignificatione alibi apud Ciceronem occurrit: ut, cum ad Atticum ſcribens, *Tum ille*, inquit, *edixit ita, ut me exciperet, et Laelium nominatim : quod ſane nollem; poterat enim, ſine nomine, re ipſa excipi* [1]. Loquitur de Antonio, qui juſſu Caeſaris edixerat, ne cui ex iis, qui cum Pompeio contra Caeſarem in bello fuiſſent, liceret eſſe in Italia, excepto Cicerone et Laelio. Juriſconſulti etiam eodem ſenſu uſurpant. Sic Ulpianus: *Videmur hoc jure uti, ut vitii morbique appellatio non videatur pertinere, niſi ad corpora: animi autem vitium ita demum praeſtabit venditor, ſi promiſit* ;

[1] L. xi. epiſt. 7.

*ſi*

*ſi minus, non : et ideo nominatim* de errone et fugitivo *excipitur ; hoc enim animi vitium eſt, non corporis*[1]. Quibus verbis plane ſignificat Ulpianus, in ſervo vendendo corporis tantum vitia, non animi, *excepto errone et fugitivo*, praeſtitiſſe venditorem, niſi promiſiſſet. In illo autem ſenſu, quem vir doctiſſ. ei hic attribuit, verbum *excipere* apud juriſconſultos non reperio. Reſtat igitur, ut locum iſtum Plinii paululum conſideremus, et num ex ſerie orationis ita illic accipi neceſſarium ſit, videamus. In quem finem verba illius paulo altius hic repetemus. *Ceu vero non millia gentium ſine medicis degant, nec tamen ſine medicina; ſicut populus Romanus ultra ſexcenteſimum annum, nec ipſe in*

[1] L. 4. §. 3. ff. De aedil. edict.

*acci-*

*accipiendis artibus lentus, medicinae vero etiam avidus, donec expertam damnavit. Etenim percenſere inſignia priſcorum in his moribus convenit. Caſſius Hemina, ex antiquiſſimis auctor eſt, primum e medicis veniſſe Romam e Peloponneſo Archagathum, Lyſaniae filium, L. Aemilio, Luc. Julio coſſ. anno urbis* DXXXV. *eique jus Quiritium datum, et tabernam in compito Acilio, emptam ob id publice:* vulnerarium *eum fuiſſe e re dictum; mireque gratum adventum ejus initio; mox a ſaevitia ſecandi urendique tranſiſſe nomen in carnificem, et in taedium artem, omneſque medicos. Quod clariſſime intelligi poteſt ex M. Catone, cujus auctoritati triumphus atque cenſura minimum conferunt: tanto plus in ipſo eſt. Quamobrem verba ejus ipſa ponemus.*

*nemus.* Tum epiſtolam illius ad Marcum filium recitat, cujus partem ſupra exſcripſimus [1]. Dein ita pergit: *Atque hic Cato* DCV. *anno urbis noſtrae obiit,* LXXXV. *ſuo, ne quis illi defuiſſe publice tempora, aut privatim vitae ſpatia ad experiendum arbitretur. Quid ergo? damnatam ab eo rem utiliſſimam credimus? Minime hercules: ſubjicit enim, qua medicina et ſe, et conjugem, uſque ad longam ſenectam perduxerit.* Et poſt pauca: *Non rem antiqui damnabant, ſed artem: maxime vero quaeſtum eſſe immani pretio vitae recuſabant. Ideo templum Aeſculapii, etiam cum reciperetur is Deus, extra urbem feciſſe, iterumque in inſula, traduntur. Et cum Graecos Italia pellerent,*

[1] Vid. p. 10.

*diu poſt Catonem, excepiſſe medicos.* Cum dixerat hic Plinius, *Non rem antiqui damnabant, ſed artem* ; quae ſtatim addit *de templo Aeſculapii,* et *Graecorum Italia expulſione,* ita vir doctiſſ. accepiſſe videtur, tanquam exempla eſſent, quibus Plinius oſtendere vellet, *artem* medicam ab antiquis Romanis damnatam fuiſſe ; cum ex contrario, ab eo proferuntur, quo *rem* ipſam, hoc eſt *medicinam,* illos non damnaſſe demonſtret. Etenim quod ait, illos *templum Aeſculapii, etiam cum reciperetur is Deus, feciſſe,* non ita intelligi debet, quaſi ex contemtu ſic loquatur ; ſed more hiſtorici, quia ſero, anno ſcil. urbis CDLXII. id factum fuit. Nam Roma miſſi legati anguem, qui ſe in navem eorum contulerat, in quo Dei numen eſſe putaba-

tur,

tur, ab Epidauro magna caeremonia deportarunt [1]. Eique poſtea, una cum *Apolline* et *Salute*, dona et ſigna inaurata data fuiſſe, tabuliſque pictis ex manubiis fanum ejus exornatum, legimus [2]. Unde haud parvo honore Aeſculapium Romae cultum fuiſſe ſatis manifeſto conſtat. Neque contumeliae aliquid ex eo inferri poteſt, quod templum illius *extra urbem*, et *in inſula* Tiberis fuerit extructum ; cujus conſilii varias cauſas conjectat Plutarchus [3], nullam vero meminit, quae in opprobrium cedat. Imo *Jovis* atque *Fauni aedes*, una cum ea *Aeſculapii*, in eadem inſula fuiſſe, a P. Victore diſcimus [4]. Locum igitur tantum, ubi Aeſculapii templum (ni duo potius fuiſſe dicamus) aedifica-

[1] Epit. Liv. Lib. xi. [2] Liv. Lib. xii. 37. xliii. 4.
[3] Quaeſt. Rom. xciv. [4] De U.R. regionibus, Reg. xiv.

tum fuit, his verbis Plinius indicare voluit. Quare cum ea, quae de Aeſculapio dicit, non ut damnatae artis medicae, ſed honoris, quo veteres Romani medicinam proſequebantur, indicium narret; quod de medicis ſubjicit, eodem ſenſu accipi oportet. Nec dubitandum eſt, quin eadem ſignificatione Plinius in loco, de quo agimus, verbo *excepiſſe* uſus fuerit; quo, de ſimili re loquens, participium *exceptis* adhibet Suetonius, cum *peregrinos omnes, exceptis medicis et praeceptoribus*, Auguſtum urbe expuliſſe tradit. Sed in alium errorem interpretatio ſua vocis *excepiſſe* virum doctiſſ. induxiſſe videtur. Plinius enim poſt ea, quae ſupra ab eo citavimus, ad artis medendi ſtatum, ut ſua aetate apud Romanos exercebatur, paululum digreſſus, mox ad priſ-

ca

ca illa tempora iterum rediens, ita ſcribit: *Non deſeram Catonem tam ambitioſae artis invidiae a me objectum, aut ſenatum, qui ita cenſebat.* Quae verba in hunc modum exponit Harduinus: *Non relinquam Catonem, quem objeci invidiae medicorum; non deſeram ſenatum, qui ita cenſuit*, pellendos Italia medicos, *&c.* Sed Plinium non ſenatum intellexiſſe, qui Graecos Italia pepulit, ex verbis ejus manifeſtum eſt, quibus ea, quae de Catone et ſenatu illo hic narret, mox ita concludit: *Haec fuerint dicenda pro ſenatu illo, ſexcentiſque populi Romani annis.* Ceterum expulſio illa Graecorum, de qua ante dixerat, non intra primos ſexcentos annos populi Romani facta fuit; ſed *diu poſt Catonem*, qui ultra id tempus vitam produxit. Quo autem tempore hoc eve-

evenerit, pro certo, opinor, vix ſtatui poteſt. Quod de Auguſto tradit Suetonius, ei parum congruere videtur. Is enim *peregrinos omnes, exceptis medicis et praeceptoribus*, non *Italia*, ſed *urbe* tantum *expuliſſe* dicitur. Verum nonnihil aut de medicis, aut ſaltem de arte illorum, veterem illum ſenatum *cenſuiſſe* Plinius manifeſto ſignificat. Quidnam igitur illud fuerit, operae pretium erit paucis exquirere. Dixerat antea, adventum Archagathi, quem *vulnerarium* vocat, Romanis mire initio gratum fuiſſe; *mox* tamen *a ſaevitia ſecandi urendique tranſiſſe nomen in carnificem, et in taedium artem, omneſque medicos.* Inde recentiores quidam ſcriptores medicos ea tempeſtate Roma pulſos fuiſſe, idque Catonis praecipue auctoritate, auſi ſunt aſſerere. Sed tempora

pora neutiquam conveniunt. Archagathi enim adventu quindecim tantum annos Cato natus fuit. Quare ſi, ut ſcribit Plinius, nomen Archagathi *mox*, hoc eſt, non diu poſt adventum ejus, tranſierit in carnificem, et Romanos tam artis, quam omnium medicorum taeduerit ; non ea ſane aetate tunc Cato fuit, ut auctoritas ejus apud ſenatum multum valere poſſet. Veriſimile eſt igitur, rationem iſtam ſecandi urendique, qua uſus eſt Archagathus, ut novam, et aſpectu terribilem Romanos improbaſſe ; ipſumque adeo ſenatum, decreto aliquo eam ſibi non placere, ſignificaſſe. Neque aliud Plinium intelligere videtur, cum ait, populum Romanum medicinae avidum fuiſſe, *donec expertam damnavit*, hoc eſt, *improbavit*, et *vituperavit*. Non ipſos *medicos damnaſſe* dicit,

cit, ſed *artem.* Neque Archagathum, aut alium quemcunque medicum, iis temporibus urbe expulſum fuiſſe, uſquam legimus: ſin autem aliquid ejuſmodi eveniſſet, Plinius certe, qui tam ſtrenuum Catonis vindicem, neque minorem medicorum hoſtem, ſe profitetur, haudquaquam de eo reticere voluiſſet. Atque haec de medica arte veterum Romanorum ſententia, quanquam ad eam ſolummodo partem ſpectavit, quae manu curaret; alios tamen medicos deterrere potuit, quo minus iis temporibus Romam adirent. Ex iis igitur quae diximus, Plinium neque vivo Catone, ut temere nonnulli affirmarunt; neque illo mortuo, ut credidit doctiſſimus ejus interpres, medicos a Romanis fuiſſe expulſos, tradidiſſe apparet. Contra autem non

diu

diu poſt Catonis mortem, Graecorum medicinam, non illam vulnerariam, ſed quae medicamenta adminiſtraret, Romae receptam fuiſſe; brevique temporis ſpatio magnis praemiis ornari incepiſſe; ac celebres quoque profeſſores habuiſſe, ſupra oſtendimus. Porro ſequenti ſeculo tanta praemia huic arti Romae conſtituta fuere, quibus, eodem Plinio narrante [1], non Graeci tantum, ſed etiam Ægyptii illuc ſe recipere pellicerentur. Scholae etiam, vel collegii, medicorum ruinae in Eſquiliis adhuc extant; quod multis olim imaginibus, atque marmoribus, ornatiſſimum fuiſſe apparet; itemque tabularium, et archiatrum, ex more ejuſmodi ſocietatum habuiſſe, ſequens inſcriptio oſtendit.

[1] Hiſt. L. xxvi. c. 1.

M. LIVIO CELSO. TABVLARIO
SCHOLÆ. MEDICORVM
M. LIVIVS. EVTYCHVS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED. IIII [1].

Adoleſcentes, credo, ingenui, non ſervi, in hac ſchola inſtituebantur. Quales igitur homines fuerint, qui Romae medicinam profiterentur, nemini jam, ut arbitror, in dubio eſſe poteſt.

Sed tempus eſt, ut in viam iterum redeamus. Auctor igitur, ſententia ſua expoſita, atque, ut res ſinebat, comprobata, ad ea, quae in contrariae opinionis defenſionem viri quidam eruditiſſ. attulerint, reſpondenda jam ſe accingit. Ii autem, quos hic aggreditur, ſunt *Caſaubonus*, *Sponius*, ac *Meadius*. Quorum " Caſaubonus, *ut ait*, medicos

[1] H. Mercurial. Artis gymn. L. 1. c. 7.

" licet

" licet non omnes, at pleroſque
" tamen, e ſervorum numero,
" neque ullos quidem Romanos,
" ſed Graecos plane omnes fuiſſe
" fatetur. Sponius in hoc prae-
" cipue elaborat, ut a ſervis ad
" proximam libertinorum ordi-
" nem medendi artem evehat,
" atque uno quaſi gradu altiorem
" ponat. Meadius autem nihil
" omnino ſervile, nec humile qui-
" dem medicis adſcribi patitur ;
" ſed in libertatem omnes, ac
" ingenuitatem ſimul aſſerit ".

A *Caſaubono* igitur incipiens ita pergit : " Quum animadvertiſſet
" *medicum* quendam, quem J.
" Caeſar, a praedonibus captus,
" ſecum habuiſſe a Suetonio dici-
" tur, *amicum Caeſaris* a Plu-
" tarcho appellari ; alioſque iti-
" dem artem illam profitentes
" principum virorum amicitia
" nonnunquam, ac familiaritate

 " uſos

" uſos eſſe: ejuſmodi homines,
" quibus tantus honos habitus
" eſſet, *ſervos* fuiſſe ſuſpicari,
" tanquam ridiculum crediuque
" abſurdum arguit. Hoc cum
" ille, tum poſt eum Sponius,
" argumento maxime utitur. Sed
" miror non animum attendiſſe
" viros doctiſſimos, *amicorum co-*
" *hortes* in plures gradus et or-
" dines a magnatibus ſegregari
" ſolere: ut Lampridius de Ale-
" xandro Severo loquens, *tantae*
" *eum moderationis fuiſſe* ſcribit,
" *ut amicos non ſolum primi, et*
" *ſecundi loci, ſed etiam inferi-*
" *oris, aegrotantes viſeret.* Ne-
" que mirum videri debet, non
" modo libertinos, ſed et ſervos
" etiam, in *inferiorum ordinum*
" *amicis* interdum numerari;
" cum meminerimus quam be-
" nigne, quamque familiariter
" iſtius ſortis homines, qui fide

" et

" et ingenio praeſtarent, vel a " principibus viris tractari eſſent " ſoliti[1] ". Multa hic V. R. ſimul congeſſit, quae nos ſeparantes ſeorſim conſiderabimus.

Quod ad Caſaubonum attinet, culpatur ab eo Robortellus, quia, cum dixerat Suetonius *J. Caeſarem, a praedonibus captum, manſiſſe apud eos, non ſine ſumma indignatione, prope quadraginta dies, cum uno medico et cubiculariis duobus*[2]; is, pro *medico*, contra omnium codd. fidem, *amico* repoſuerit; illis rationibus uſus, quod Plutarchus φίλον hunc appellet; neque veriſimile ſit ulli medico (quippe ſervi illis temporibus eam artem exercebant Romae) eum honorem habitum fuiſſe, ut inter Caeſaris amicos cenſeretur. Contra autem Caſau-

[1] Differt. p. 12, 13. [2] In vit. J. Caeſ. c. 4.

bonus,

bonus, *Primum, illud falſum,* inquit, *omnes Romae tum medicinam profitentes ſervos fuiſſe: multi enim excellentes in ea arte e Graecia terra illuc quaeſtus ſui cauſa, partim ingenui, partim manu pridem emiſſi, itabant. Hi ſunt, quos narrat hoc ipſo libro Suetonius, civitat donatos omnes a J. Caeſare: nam in ſervos id beneficium fuiſſe collatum, nimia eſt ſtultitia vel ſuſpicari. Falſiſſimum vero, medicos a magnatibus Romanis inter amicos non habitos, neque eo titulo dignatos:* quod non uno exemplo illic probat [1].

Jam quid ad haec V. R. reſpondet? *Mirari ſe* ait, *non animum attendiſſe virum doctiſs.* amicorum cohortes *in plures* gradus *et* ordines *a magnatibus ſe-*

[1] Ad locum.

*gregari*

*gregari ſolere.* Sed neque *gradus* neque *ordo* proprie ad ſervos pertinet. Quomodo autem inter *amicorum cohortes* magnates *ſervos* habuiſſe probet, jam videamus. Primum e Senecae verbis id oſtendere conatur, quae, ut in margine adſcribit, ita ſe habent: *Conſuetudo iſta vetus regibus, regeſque ſimulantibus, populum amicorum deſcribere. Apud nos primi omnium C. Gracchus et mox Livius Druſus conſtituerunt ſegregare turbam ſuam,* &c[1]. At nihil hic de *ſervis,* neque per totum illud caput, unde haec deſumta ſunt. Dein ad alium Senecae locum margo nos dirigit, ubi tantundem invenio[2]; nam verba nimis longa ſunt, quae huc transferantur. Ad Suetonium denique mittimur, qui

[1] De benef. L. vi. c. 33. [2] De clement. L. i. c. 10.

de

de Tiberio loquens, *Comites*, ait, *peregrinationum, expeditionumque una modo liberalitate proſecutus: cum tribus claſſibus factis, pro dignitate cujuſque, primae ſexcenta ſeſtertia, ſecundae quadringenta diſtribuit, ducenta tertiae, quam non amicorum, ſed gratorum appellavit* [1]. Per *tertiam claſſem*, ut arbitror, *ſervos* hic V. R. intelligit. Quomodo autem pro *grati animi* ſigno in ſervis haberi poſſet, quod dominum, cujus imperio omnino erant obnoxii, ſequerentur, plane non percipio. Horum itaque *gratorum* obſequium ſine dubio non ex imperio et neceſſitate fuit, ut illud ſervorum; ſed voluntarium, quod humilioris loci liberis convenit. Neque advertiſſe videtur V. R. illud contra argu-

[1] In vit. Tib. c. 46.

mentum

mentum ſuum facere, quod Tiberius hos *tertiae claſſis* non *amicorum* nomine, ut reliquos, honeſtaverit; ſed *gratos* potius appellare ſtatuerit. Quo plane indicavit, ſe tanto honore eos haud dignos judicaſſe, qui in *amicorum cohorte* cenſerentur.

Verum Lampridii verba, quae proxime laudat, hanc rem clarius forſan demonſtrabunt. Is igitur, de Alexandro Severo ſcribens, narrat, *tantae eum moderationis fuiſſe, ut amicos non ſolum primi, et ſecundi loci, ſed etiam inferioris, aegrotantes viſeret*[1]. Quid hoc ad *ſervos?* Sed V. R. haud mirum videtur, non modo libertinos, ſed et ſervos, in *inferiorum ordinum amicis* interdum numerari. Cives Romanos in tres *ordines* diſtributos fuiſſe

[1] In vit. Alex. Sev. c. 20.

ſupra obſervavimus[1]; quae *ordinum*, vel *locorum*, diſtinctio his Lampridii verbis apprime convenire videtur. Nam *locum*, pro *ordine*, ab antiquis ſcriptoribus haud raro uſurpari invenimus. Sic Gellius: *Is erat loci ſenatorii*[2]. Item Cicero ſe *equeſtri ortum loco conſulem* appellat[3]. Lampridius etiam paulo ante de eodem Alexandro Servo: *Libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit, aſſerens ſeminarium ſenatorum equeſtrem locum eſſe*[4]. Equites autem *ſecundum locum* obtinebant: quare cum de *loco* his *inferiori* loquatur, cives plebeios ab eo intelligi, nemo, opinor, dubitare poteſt.

Sed ad alia exempla procedimus. "Brutus ad Ciceronem ſcribens, "*Glyconem*, inquit, *medicum*

[1] Vid. p. 57.
[2] L. xii. c. 1.
[3] 1 Contra Rull. c. 9.
[4] In Vit. c. 19.

*Panſae*

" *Panſae diligentiſſimè tibi com-*
" *mendo. Audimus eum veniſſe*
" *in ſuſpicionem de morte Pan-*
" *ſae, cuſtodirique ut parrici-*
" *dam. Nihil minus creden-*
" *dum : eſt modeſtus homo, et*
" *frugi ------- rogo te, et quidem*
" *valde rogo,* &c[1]. Quis jam
" medicum illum, Bruto tanto-
" pere charum et familiarem,
" *amicum Bruti* vocare dubita-
" ret ; qui tamen *Panſae coſ.*
" *ſervus,* aut ſaltem *libertus* e-
" rat[2] " ? Ni ad locum hunc con-niventibus oculis venerat, et inter deſcribendum verba quaedam ex prima ſententia detraxerat, a propoſito ſuo adeo eum alienum eſſe, ut nihil fere alienius eſſe poſ-ſet, manifeſto apparuiſſet. Quae ille igitur omiſit, ut in epiſtola leguntur, hic proferam. *Tibi*

[1] Epiſt. ad Cic. 6. [2] Differt. p. 13.

*Glycona* [alii *Glaucona*] *medicum Panſae, qui ſororem Achilleos noſtri in matrimonio habet, diligentiſſime commendo*, &c. Jam ex verbis illis, *qui ſororem Achilleos noſtri in matrimonio habet*, quae apud auctorem noſtrum non comparent, *Glycona* non *ſervum* fuiſſe, facile demonſtrari poteſt. Romanos enim non *matrimonium*, ſed *contubernium* de ſervis dixiſſe, juriſconſulti nos docent. Ita Paulus: *Inter ſervos et liberos matrimonium contrahi non poteſt*[1]. Ubi magnus Cujacius: *Aliud eſt matrimonium, longe aliud contubernium. Matrimonium eſt inter liberos homines; contubernium inter ſervos, aut cum ſervis.* Ni Brutum igitur civitatis ſuae mores ignoraſſe credamus, atque ita *matrimonium* dixiſſe,

[1] Sent. Recept. L. ii. t. 19.

cum

cum *contubernium* dicere oportebat; Glycona non ſervum fuiſſe Panſae, haec epiſtolae verba plane oſtendunt. Nec quod *medicum Panſae* appellatur, *libertum ejus* fuiſſe neceſſario ſequitur. Nam proceres Romani, et praeſertim magiſtratus, ingenuos homines, ad omne officium inſtructos et paratos, in comitatu ſuo habuerunt. Porro ſi ſcriptorum *auctoritates* de ſervis medicis tam *magna copia ſuppetant*, ut paulo ante V. R. aſſeruit[1]; cur opera ſua adeo abuti vellet, ut liberum hominem pro ſervo hic produceret?

Proximo loco Q. Ciceronem citat, teſtem ſane locupletem, ſi illius auctoritate ſervos in amicorum numero habitos fuiſſe, comprobari poſſit. Quidnam igi-

[1] Vid. ſupra p. 88.

tur

tur de hac re is dicat, audiamus: " Ciceroni autem ipſi nihil un- " quam *ſervo ſuo Tirone* dulcius " aut carius fuiſſe, epiſtolae ſuae " ad eum miſſae ſatis declarant: " ob cujus tandem manumiſſio- " nem gratias ei per literas Q. " Cicero frater agens, *Gratiſſi-* " *mum*, inquit, *mihi feciſti, cum* " *eum indignum illa fortuna, no-* " *bis amicum, quam ſervum eſſe* " *maluiſti* [1]: tanquam nihil ali- " ud eſſet manumiſſio, quam e " ſervitute in amicitiam domini " tranſitus [2]". Paulo ante dixerat, *non mirum videri, ſervos etiam, in inferiorum ordinum amicis interdum numerari.* Nunc autem, quaſi fui oblitus, *manumiſſionem* deſcribit, *tanquam e ſervitute in amicitiam domini tranſitum.* Quare ex ſua ipſius con-

[1] Inter Cic. epiſt. ad fam. L. xvi. 16. [2] Differt. p. 13.

feſſione

feſſione oportebat aliquem deſinere eſſe ſervum, priuſquam domini amicus eſſe inciperet. Quod ex Q. Ciceronis verbis etiam colligi poteſt ; qui *amicum* a *ſervo* ita diſtinguit, ut inter ſe plane opponat. Fidelitas ac ſtudium ſervorum dominis ſuis caros ac dulces eos ſine dubio ſaepiſſime reddidit; ut de *Statio* ſuo Q. Cicero in hac ipſa epiſtola teſtatur, atque ex multis Marci fratris ad *Tironem* ſcriptis manifeſto apparet. Tam vilis autem et abjecta apud veteres Romanos ſervorum conditio habebatur, quae ab arcta illa conjunctione, et quaſi paritate, quam conciliat amicitia, cum dominis ſuis neceſſario illos arceret. Humaniter et benigne eos domini tractare poterant, amicorum autem titulo unquam honeſtaſſe V. R. nondum oſtendit.

Sed

Sed ad Senecam iterim redit. " Hoc autem, *inquit*, medicis " praecipue et praeceptoribus " contigiſſe, ut in *amicos facile* " *tranſirent*, teſtatur Seneca; " quibus ſcil. artes ipſae, quas " profitentur, dominorum gra- " tiae promerendae, hominibuſ- " que beneficio obligandis, omni- " um maxime ſint opportunae [1]." Sed nihil amplius requiritur, quo Senecam illic non de *ſervis amicis* et *dominis* loqui probemus, quam ut ſua ipſius verba apponamus, quae ſic ſe habent: *Quid ergo? quare medico et praeceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum tranſeunt, et nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna et familiari*

[1] Differt. p. 13, 14.

*volun-*

*voluntate. Itaque medico, qui nihil amplius quam manum tangit, et me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine ullo affectu facienda vitandave praecipiens, nihil amplius debeo :* &c. *Neque praeceptorem quidem habeo cur venerer, ſi me in grege diſcipulorum habuit, ſi non putavit dignum propria et peculiari cura :* &c. *Quid ergo eſt, quare iſtis debeatur multum ? Non quia pluris eſt quod vendiderunt, quam emimus ; ſed quia nobis ipſis aliquid praeſtiterunt* [1]. Quis non *medicos* et *praeceptores*, de quibus Seneca hic loquitur, haud *ſervos*, ſed *profeſſores* fuiſſe videt ? Utrique artem ſuam *vendunt* : medicus etiam aegrotos *perambulare*, ac praeceptor *gregem diſcipulorum habere* dicitur :

[1] De benef. L. vi. c. 16.

quae omnia iis tantum proprie tribui poſſunt, qui artes iſtas publice exercerent. Sed ea praejudicata opinione de ſervis medicis ad hoc argumentum V. R. acceſſiſſe videtur, ut ubicunque vox *medicus* occurrit, de *ſervo* ſtatim cogitaverit.

" Sed quid tandem, *inquit*, ad " amorem domini erga ſervum " ſignificandum gravius eſſe po- " teſt, quam *inſcriptio* publice " dicata ? Hujuſmodi autem ve- " tuſtam quandam exhibet *Tur-* " *rius* [1], Aquileiae repertam, " quam ſummus, uti videtur, " coloniae magiſtratus *ſervo ſuo* " *medico* poſuit [2] ".

PHAEBIANO
SER.
MEDICO
FABIANUS
COS.

[1] Philip. a Turre Monum. vet. Ant. p. 361.
[2] Diſſert. p. 14.

Amoris

Amoris domini erga ſervum haud leve teſtimonium fuiſſe, quoties memoriam illius ad poſteros conſervandi cauſa, inſcriptionem ei dicari vellet, nemo certe denegabit ; cujuſmodi etiam non paucas cum affectuum ſignificatione apud Gruterum legimus. Ita inter alias :

SERVO SVO BENEMERENTI. *p.* 1153.
SERVO FIDELISSIMO BENEMERENTI. *p.* 563.

Attamen neque in Turrii inſcriptione, neque in iis apud Gruterum, vocem AMICUM reperio ; quod V. R. argumentum hic poſtulat.

" In notiſſima denique, *ut ait*,
" illa de Pyrrho rege hiſtoria,
" hominem illum, qui Fabricio
" conſuli, ſi de pretio conveniret,
" veneno regem necare promiſit,
" *medicum* Plutarchus [1], *amicum*

[1] In vita Pyrrhi, p. 396.

" Gellius[1], *famulum* autem *regis*
" Claudianus vocat[2]: quae tamen
" omnia tum inter ſe conſentire,
" tum ſententiam meam confir-
" mare, ex ſupra dictis facile pa-
" tere arbitror[3]." Quibus autem rationibus V. R. hos omnes ſcriptores *inter ſe conſentire* manifeſtum faciet? Certe non pauca ſunt, quae rem dubiam et incertam reddere videntur. Primum enim, an *medicus* fuerit is homo, necne, ex Gellii verbis non liquet. Non enim *regem venenis necare, facile eſſe factu* conſulibus *dixit*, quia ipſe medicus fuit; ſed *quoniam filii ſui pocula in convivio regi miniſtrarent*. Similia etiam habet Val. Maximus[4]. Neque ex conſulum Romanorum epiſtola, ad Pyrrhum ea occaſione ſcripta, quam exhibet Gelli-

[1] Lib. iii. c. 8. [2] De bello Gild. v. 271, &c.
[3] Diſſert. p. 14. [4] Lib. vi, c. 5.

us,

us, id magis conſtat. Cicero etiam in dubio relinquit, *perfugam* tantum appellans[1]. Deinde veteres hiſtoricos de nomine haud conſenſiſſe, cum alius *Timocharem*, alius vero *Niciam* vocatum ſcripſerit, idem tradit. Praeterea de epiſtola quoque, num a conſulibus, an a ſenatu miſſa fuerit, eos haud minos inter ſe diſcrepaſſe, obſervat. Denique tum Gellius, tum etiam V. Maximus *Ambracienſem* hominem fuiſſe ſcribunt, ex *Ambracia* nimirum, urbe Pyrrhi regia, oriundum: unde *ingenuum* ſane eum potius fuiſſe, quam *ſervum*, credibile videtur. In re igitur adeo obſcura et dubia haud tanti eſſe videtur auctoritas Claudiani, non poëtae ſolum, ſed etiam V. Maximo ac Gellio diu poſterioris; ut illi

[1] De offic. L. iii. c. 22.

potius

potius, quam hiſce tam ſtudioſis hiſtoriae veteris ſcrutatoribus fidem habeamus. Nam ſi planum eſſet eum *medicum* fuiſſe, ut non modo Plutarchus, ſed Florus [1] etiam, et Eutropius [2] vocant; de ſtatu hominis, utrum liber ſcil. an ſervus fuiſſet, nihil certi ex eo definiri poſſet. Quapropter clara et indubitata idonei alicujus ſcriptoris auctoritas opus eſſe videtur, qua *ſervos* dominorum *amicos* unquam vocatos fuiſſe, demonſtrari poſſit; priuſquam *Gellium* et *Claudianum* de hominis iſtius conditione *inter ſe conſentire*, cum alter *amicum* Pyrrhi, alter *famulum* nuncupet, alios facile ſibi conceſſuros V. R. expectare debeat, Hoc enim ex prioribus ejus teſtimoniis nequaquam inferri poſſe, quorum eti-

[1] L. 1. c. 18. [2] Lib. ii. c. 8.

am

am major pars contrarium manifeſto oſtendunt, ex ſupra dictis ſatis patere arbitror.

A CASAUBONO ad *Sponium* jam tranſiens, de eo ita ſcribit: " Sed " ut argumentationis ejus vim " omnem complecti facilius, et " comprehendere queamus; in- " ſcriptionum quarundam vete- " rum, quibus praecipue cauſam " ſuam evincere, contrariamque " refellere conatur, maximam " partem huc quoque transfe- " rendam curavi.

I.

M. LATINIVS
MEDICUS
OCVLARIVS
&c.

II.

M. ALLIVS PAMPHILVS
MEDICVS
&c.

III. CAL-

III.

C. CALPVRNIVS ASCLEPIADES
PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS
PARENTIBVS ET SIBI ET FRATRIB.
CIVITATES VII. A DIVO TRAIANO
IMPETRAVIT
&c.

IV.

ILLVSTRIVS TI. CAESARIS
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIUS
&c.

V.

M'. FONTEIVS
NICANDER
MEDICVS

VI.

L. ANNIVS CASSIVS MITHR
ADORVS MEDICVS &c.

VII.

L. ARRVNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO &c.

VIII.

VIII.

TI. CLAVDIVS. IVLIANVS
MEDICVS. CLINICVS. COH. IIII.
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET
TVLLIE. E PIGONE. CONIVGI
LIBERTIS. LIBERTABVSQ.
CLAVDIIS. POSTERISQUE
EORVM

IX.

P. CHARM.
SOSTHE.
MEDIC.
IIIIVIR. AVG.
&c.

" *Hiſce pauculis inſcriptio-*
" *nibus*, inquit Sponius [1], *deſtrui*
" *poteſt ridiculum Robortelli com-*
" *mentum ; qui aſſeruit, Romae*
" *tantum ſervos medicinam ex-*
" *ercuiſſe. Etiamſi etenim in*
" *inſcriptione*, ILLUSTRIUS TIB.
" CAESARIS SERVUS *fuerit* ME-
" DICUS; *obſervandum eſt, addi*
" OCULARIUS, *ſicque potius chi-*

[1] Miſcell. erud. antiq. p. 144.

 " *rur-*

" *rurgum, quam medicum fuiſſe.*
" *At in aliis lapidibus medici*
" *ſoli ingenui, aut liberti,* &c.
" *quorum ultimus vero, praeter-*
" *quam ingenuus fuit, ſextumvi-*
" *ratus dignitate ornatus obſer-*
" *vatur*[1] ".

Jam quaenam ſit V. R. de his inſcriptionibus ſententia, videamus. " De prima, *inquit*, li-
" teras M. L. quae *Latinii* no-
" men ſequi debuiſſent, *liberti-*
" *nam* videlicet ejus conditionem
" indicantes, a Sponio detractas
" eſſe, vir doctus *Malvaſia*[2] o-
" ſtendit[3] ". Si ſciens ac prudens id Sponius fecerit, quo artis ſuae honori inſervire ſperaret, merito ſane reprehendi debet. Tota inſcriptio, ut a Sponio exhibetur, ita ſe habet :

[1] Differt. p. 15, 16, 17. [2] Marm. Felſin. Sect. v. c. 1.
[3] Differt. p. 17.

DIS MANIBVS
M. LATINIVS
MEDICVS OCVLARIVS
HERMES VIXIT ANNOS
XXXX

" Secundam quod attinet, *Ju-*
" *ſtus Fontaninus* diverſo plane
" modo eam nobis exhibet [1] : vi-
" delicet MALLIVS PAM. *&c.* nul-
" la interpunctionis notula ad
" praenomen diſtinguendum ad-
" hibita : atque ex eo *Pamphi-*
" *lum* illum e *ſervorum grege*
" fuiſſe, necdum libertate dona-
" tum, contendit ; propterea
" quod praenomine, quo cives
" omnes utebantur, careret [2]".
Praenominis omiſſionem in in-
ſcriptionibus non certum eſſe ſer-
vi indicium ſupra obſervavi [3].
Quare ſi hic Pamphilus non
civis eſſet Romanus, ex *peregri-*

[1] De antiq. Hort. c. ix. p. 166.
[2] Differt. p. 17. [3] Vid. p. 89.

*norum* tamen numero, atque ita ingenuus, esse poterat.

" De *Asclepiade* autem medi-
" co proxime memorato, quam
" puerilia et inepta omnia pro-
" tulit Sponius [1]? qui inscriptio-
" nem ipsam in Gallicum sermo-
" nem vertens, *septem urbium*
" *dominium et principatum* ab
" imperatore Trajano eum obti-
" nuisse asserit. Neque Meadius
" deinde hunc tantum virum,
" seu principem potius, *totque*
" *civitatum donationem*, in ar-
" tis suae gloriam commemorare
" omisit [2]. Sed quid tandem, si
" Diis placet, haec tam magni-
" fica sibi velint? Reinesius e-
" nim, auctor quidem ille gra-
" vis, medicusque celebris (un-
" de ipsam etiam inscriptionem
" transtulerat Sponius) nihil ali-

[1] Rech. curieus. Differt. 27. p. 431.
[2] Orat. Harv. p. 9.

" ud

" ud *Aſclepiadem* huncce fuiſſe
" dicit [1], quam *ſervum e Cal-*
" *purnia familia* manumiſſum,
" qui Trajani favore *civis pri-*
" *vilegia et immunitatem*, non
" ſolum Romae, ſed in ſex aliis
" Graeciae et Aſiae civitatibus
" ſibi, ſuiſque impetraverat. Nec
" quidquam ſane amplius inſcri-
" ptionis ipſius verbis ſignificari
" certiſſimum eſt; quippe *ſe-*
" *ptem urbium dominatus* ab o-
" ptimo et prudentiſſimo principe
" *medico Graeculo* donatus, non
" ſolum incredibile quiddam vi-
" detur, ſed a ſcriptoribus omni-
" bus ſilentio praeteriri nullo
" modo poterat [2]". Sponii ſen-
tentia *de ſeptem urbium dominio*, a Trajano Aſclepiadi conceſſo, ſine dubio falſa eſt, neque ullam veritatis ſpeciem habet. Praeter-

[1] Syntag. Inſcrip. antiq. Claſſ. xi. 4.
[2] Diſſert. p. 17, 18.

ea

ea ſi id voluiſſet inſcriptio, quod Sponius ſenſit, *urbes* potius, quam *civitates*, opinor, ſcriptum fuiſſet. Sed injurioſe admodum Meadium criminandi anſam, quaſi cum Sponio de hac re vir ille doctiſſimus conſenſiſſet, auctor noſter arripere conatur. Is enim pro more ſuo in aliis, quae profert, teſtimoniis, hoc breviter tangens, ipſiſſima tantum inſcriptionis verba, ſine ulla explicatione, recitat. *Calpurnius*, inquit, *Aſclepiades a Divo Trajano parentibus, ſibi, et fratribus ſeptem civitates impetravit.* Non *principem* appellat, neque vocibus *tot civitatum donationem* utitur; ſin autem Sponii interpretatio ipſi arriſerat, in artis ſuae gloriam commemorare ſine dubio voluiſſet. Sed ut Sponii opinionem de ſeptem urbium principatu vanam eſſe, ac nullo fun-

fundamento niti, fatendum eſt; ita nec Reineſii ſententiae, *Aſclepiadem hunc ſervum fuiſſe, e Calpurnia familia manumiſſum*, ſtatuentis, magis aſſentire poſſum. Celeberrimi illius Aſclepiadis, Craſſi oratoris amici, civem hunc fuiſſe inſcriptio declarat; unde etiam gentilem ejus, artiſque heredem fuiſſe, ut credat, inducitur Reineſius. Quae ſi ita eſſent, ut ſane admodum credibilia videntur, ingenuum potius in eam familiam adoptatum, quam ſervum ex ea manumiſſum, cenſerem. At vero cum jus civis, *non ſolum Romae, ſed in ſex aliis civitatibus*, datum, res ſit, quae alibi vix occurrit; ſi locus conjecturae eſſet, pro CIVITATES VII. ut ſine interpuncto ad vocem *civitates* exhibet Reineſius, CIVITATEM legendum eſſe ſuſpicarer. Nam in quem finem non

ipſi

ipſi ſolum, ſed etiam fratribus, atque adeo parentibus, jus illud ſeptem civitatum datum fuiſſet, equidem haud ſatis intelligo. Verum ſi litera M injuria temporis corrupta et vitiata fuiſſet, oculi illius, qui primus exſcripſit, in evanidis linearum veſtigiis facile allucinari poſſent. Et qui antiquas inſcriptiones obſervare aſſueti ſunt, nec formam hujus literae, nec ſpatium, quod in nonnullis inſcriptionibus occupare invenitur, huic conjecturae male congruere, ni fallor, agnoſcent.

*Illuſtrius* autem in quarta inſcriptione *ſervus* appellatur, quod Sponium quoque notaſſe jam vidimus. Ad reliquos igitur progredimur.

" Ceteros autem medicos in " reliquis illis lapidibus nomina- " tos, quis unquam ſanus ingenu- " os, ut ille, atque ex familiis " quarum

" quarum nomina prae ſe fe-
" runt, oriundos credere poteſt?
" quidni potius ſervos omnes fu-
" iſſe exiſtimemus, qui manumiſ-
" ſi poſtea, *dominorum* ſibi *no-*
" *mina*, et *praenomina* pro more
" aſſumſerant? Hoc ſane de
" *Claudio illo Juliano* quam
" maxime eſt probabile; non
" tam propter conjugem Grae-
" cam *Epigonem*, quam quod
" *Claudiae familiae*, e qua ipſe
" manumiſſus eſſet, *libertis liber-*
" *tabuſque* commune ſepulchrum
" poſuiſſe videtur. Sin quod
" minus eſt veriſimile, liberos
" eos eſſe concedamus; Romani
" tamen eſſe non poterant; ſed
" ex Graeculis iſtis, qui ab im-
" peratoribus civitate donati,
" magnorumque in clientelam
" recepti, Romana deinceps no-
" mina uſurparunt; retento ta-
" men plerumque atque adjecto

" veteri Graeco. Quales procul-
" dubio (ſi non ſervi potius ſint
" exiſtimandi) *Caſſium, Fontei-*
" *um, Arruntium* fuiſſe ex ipſis
" inſcriptionibus ſatis apparet[1]".
Haec verba ad quatuor inſcriptiones, quae proxime ſequuntur, ſpectant. Cum quaerit autem, *Quis unquam ſanus ingenuos, ut ille, atque ex familiis, quarum nomina prae ſe ferunt, oriundos credere poteſt?* ambiguo loquendi genere utitur, quo hanc Sponii fuiſſe ſententiam, quis facile credere poſſit. At Sponius contra, *ingenuos* fuiſſe hos medicos, ſed Graecos; non ex familiis, quarum nomina prae ſe ferunt, oriundos, ſed in illas *adoptatos*, contendit. Diſtinctionis enim notam inter *adoptionem* et *manumiſſionem* ponit Sponius,

[1] Differt. p. 18, 19.

quam

quam auctori noſtro tacite praeterire viſum fuit. Sed quia res, de qua agimus, haud parum lucis ex ea foenerari poſſit, Sponii ipſius verbis, Gallice ſcriptis, hic dabimus. *Il faut remarquer, que ces medicins Grecs venans à Rome prenoient, un nom de famille, et un ſurnom, quoy que dans leur pays ils ne portaſſent qu'un ſeul nom, ou ſurnom; et cela parce qu'on leur donnoit le droit de bourgeoiſie à Rome, qu'on les inſeroit dans les tribus, et qu'on les adoptoit dans les anciennes familles de la republique*[1]. Et poſtea: *J'ay montré, que c'eſtoit la coûtume de ces medicins Grecs qui venoient à Rome, ou qui ſe faiſoient connoître à la cour des empereurs, deprendre un nom à la Romaine, ſe faiſant adopter*

[1] Recherch. curieuſ. Differt. xxvii. p. 428.

*dans une de leurs anciennes familles : et j'ay auſſi remarqué, que quand ils eſtoient affranchis, on le reconnoiſſoit par la lettre* L. *qui ſignifie* libertus [1]. Quamobrem cum nulli ex his quatuor medicis litera L. adſcribatur, omnes ingenuos fuiſſe ; *Fonteium* vero, *Caſſium*, et *Sempronianum* ex Graeca natione, in Romanas ejuſdem nominis familias adſcitos, exiſtimat. Etenim Graecis mos ſaepe fuit, praeter Romana nomina etiam illud gentis ſuae retinere ; quod in hiſce tribus fieri videmus. Contra autem V. R. hos omnes in ſervorum gregem detrudendi cupidus videtur : haeſitat tamen, tandemque *Romanos non fuiſſe* pro certo ſtatuit ; quod Sponius ſane nunquam affirmavit. Quod ad

[1] Recherch. cur. Diſſert. xxvii. p. 432.

*Clau-*

*Claudium* vero attinet, propter Graecam conjugem ejuſdem quoque nationis eum fuiſſe, atque in Claudiam familiam adoptatum, conjicere licet. Nam quod V. R. autumat, eum omnibus *Claudiae familiae*, e qua ipſe manumiſſus eſſet, *libertis*, *libertabuſque*, ac *poſteris eorum* (quae duo poſtrema verba, neſcio qua cauſa, omiſit) commune ſepulchrum poſuiſſe, mihi ſane parum veriſimile videtur. Certe Sponii interpretatio longe probabilior eſſe apparet, qui de *ſuis* tantum *libertis*, et *libertabus* explicat[1]: nam cum uſitatum eſſet libertis patronorum nomen aſſumere, illi etiam *Claudii* dicerentur.

*Charmes* denique agmen claudit. De quo ita V. R. " *Sextum-* " *viratum* denique *Auguſtalem* " quod attinet, quem medicus

[1] Rech. cur. Differt. xxvii. p. 436.

" ille

" ille Charmes in inſcriptione
" geſſiſſe dicitur ; errat plane
" vir eruditus, quod non niſi
" ad *ingenuos nobileſque* deferri
" eum exiſtimaverit [1] ; quum et
" libertinis praecipue, ſeu *ſem-*
" *per potius* delatum fuiſſe, mul-
" tae aliae inſcriptiones declarant:
" quarum quidem una ipſam
" pecuniae ſummam memorat,
" quam *medicus ſervus* pro
" libertate ; quamque *libertus*
" deinde pro *ſeviratu* in rem-
" publicam dediſſet.

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H-S. Iɔɔɔ
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP.
DEDIT. H-S. ∞. ∞ [2].
&c.

*Hier. Mercurial. Var. lect. l. 3.*

[1] Rech. cur. Diff. xxvii. p. 435. [2] Differt. p. 19.

In

In primo inſcriptionis verſu Gruterum[1] ſecuti ſumus; nam Mercurialis habet, P. DECIMIUS L. HEROS. Typothetae autem errore, ut videtur, apud auctorem noſtrum editur DECIMUS: ut ſupra etiam in *Fonteio*, M. pro M'. hoc eſt, *Marcus* pro *Manius*, ut exhibet Sponius. Sed quod ad rem attinet: Sponius ſine dubio *erravit, quod non niſi ad ingenuos, nobileſque eum* honorem *deferri exiſtimaverit*; ſi quidem verba illius neceſſario ita intelligi debeant, quae Gallice ſcripta ita concipiuntur. *N'eſtoit pas un homme mediocre, ni de baſſe condition, puis qu'il eſtoit ſextumvir Auguſtal*[2]. At vero in non minori errore V. R. prae nimio contradicendi ſtudio hic verſari videtur, cum libertinis praecipue,

[1] Pag. cccc. 7. [2] Rech. cur. Diſſ. xxvii. p. 435.

ſeu *ſemper potius* delatum fuiſſe aſſerat. Magnam enim copiam de *ſeviris* hiſce inſcriptionum collegit, ſimulque congeſſit *Raph. Fabrettus*[2]; quarum multae ne minimam quidem ſuſpicionem praebent homines libertos, vel alios quam ingenuos fuiſſe, qui in iis memorantur. Quod de hac etiam Sponii inſcriptione dici poteſt. Graecus quidem fuit iſte *Charmes*, ut ex nomine apparet; libertum autem fuiſſe unde pateſcat, V. R. nullam rationem protulit.

Dicat jam quivis harum rerum aequus et candidus aeſtimator; an non clare ac perſpicue id hiſce inſcriptionibus demonſtratum fuerit, quod ab iis ſibi propoſuiſſe ſequentibus verbis indicat Sponius? *Hiſce pauculis in-*

[2] Inſcript. ant. p. 402, &c.

*ſcri-*

*ſcriptionibus deſtrui poteſt ridiculum Robortelli commentum; qui aſſeruit, Romae tantum ſervos medicinam exercuiſſe.* Neque magis profecto auctoris noſtri ſententiae favere videntur, cum artem iſtam apud Romanos *a ſervis omnino*, aut *fere* ſaltem *occupatam fuiſſe atque adminiſtratam* cenſeat. Nam unus tantum, nempe *Illuſtrius*, ſervus fuiſſe apparet; unus itidem, ſcil. *Latinius*, ut a Malvaſia diſcimus, libertus. Septem reliquos quo minus ingenuos fuiſſe credamus, rationes a V. R. in contrarium oblatae haud ſatis firmae eſſe videntur. Sed unam inſcriptionem, quae apud Sponium occurrit, hic deſidero; qua nihil ſane ad illius propoſitum magis facere potuit, eamque ob cauſam nunc adjiciam.

T. VIBIO RVFO MEDICO
COH. V. PR. VALERIA
RVFINA CONIVG. OPTIM. FECIT [1].

Cur haec inſcriptio potiſſimum omiſſa fuit ? Hic praenomen, nomen, et cognomen, omnia Romana, invenimus ; neque litera L. libertinae conditionis nota ; neque uxor Graeca, ſed plane Romana comparet. Quidni igitur hunc *Rufum* inter ingenuos cives Romanos recenſere liceat, libenter diſcerem.

Ceterum auctor noſter ad effugium ſe jam recipit, quo Sponii totam argumentationis vim facile eludi poſſe exiſtimat. " Sponius " autem, *inquit*, dum medico- " rum veterum conditionem li- " beram ac ingenuam probare " ſtudet, evertit plane, ut mihi

[1] Miſcell. erud. ant. p. 144.

" vi-

" videtur, quod tanto opere ad-
" ſtruere laborat, cum e *liber-*
" *tinorum* tandem familia maxi-
" mam eorum partem exiiſſe fa-
" teri cogatur. Quid enim tantum
" intereſt, *ſervine* medendi ar-
" tem exercuerint, an *liberti?*
" quum hos etiam in ſervitute
" illam cum didiciſſe, tum exer-
" cuiſſe neceſſe ſit [1]. Dixerat an-
tea, *Sponium in hoc praecipue elaborare, ut a ſervis ad proximum libertinorum ordinem medendi artem evehat, atque uno quaſi gradu altiorem ponat* [2]; nunc vero *medicorum veterum conditionem liberam ac ingenuam probare*, ſtudium illius fuiſſe dicitur. Sed quomodo illud *evertit, quod tanto opere adſtruere laborat?* vel *e libertinorum familia maximam eorum partem exiiſſe,*

[1] Differt. p. 19, 20. [2] Vid. ſupra p. 107.

*fateri cogitur?* Locum, ubi hoc fateatur, non invenio; neque ex inſcriptionibus ejus rem ita fuiſſe, ſed contrarium potius manifeſto apparet. Cum quaerit autem, *Quantum intereſt, ſervine medicam artem exercuerint, an liberti?* facilis ſane eſt reſponſio. Tantum enim intereſt, quantum erat diſcriminis inter *artis profeſſores*, ac *medicos domeſticos*. Et quantum hoc eſſet, haud ſemel antea oſtendimus. Sed pergit:

" *Servos* autem *frugi* et *dili-*
" *gentes* (atque ut ex ſupra di-
" ctis conjicere licet, omnium
" maxime medicos) haud *quin-*
" *quennio diutius ſervire*, ſed
" in libertatem deinde emitti
" ſolere, ex *Cicerone* colligere
" poſſumus [1]: atque hinc *medi-*

[1] Orat. Philip. viii. 11.

" *corum*

" *corum libertorum*, quorum " nomina toties occurrunt, tan- " tus numerus effluxit : qui qui- " dem etſi *liberi* dici poſſint, " (quum tamen non omnes for- " taſſe juſta libertate fruebantur) " at *ingenui* certe nunquam exi- " ſtimabantur: contra vero ; *li-* " *bertinos* atque *ingenuos*, tan- " quam contrariae ſortis homines, " ſibi invicem oppoſitos ſemper " ab auctoribus invenimus. *Ho-* " *minibus*, inquit Seneca [1], *pro-* " *deſſe natura jubet, ſervi, li-* " *berive ſint ; ingenui, an liber-* " *tini.* Narratque Suetonius [2], " Auguſtum *neminem unquam* " *libertinorum coenae adhibuiſſe*, " excepto Mena (S. Pompeii li- " berto) *ſed aſſerto prius in in-* " *genuitatem* [3] ". Quam diu *ſer-* *vos frugi et diligentes ſervire* a-

[1] De vita beat. c. 24. [2] Aug. c. 74. [3] Differt. p. 20.

pud

apud Romanos mos eſſet, ad hanc quaeſtionem nihil pertinet. Nec de omnibus ſervis, ſed *captivis* tantum, qui antea liberi fuerant, illic loquitur Cicero, ut ex oppoſita parte ſententiae patet. Atque hi, ut opinor, medicam artem in ſervitute raro didicerunt. Quod dicit autem, *libertos nunquam ingenuos exiſtimatos fuiſſe*, nimis laxe pronunciatur ; Juſtinianus enim omnibus *libertis ingenuitatem* conceſſit [1]. Nec quod ſequitur, magis caute affirmari videtur, cum ait, *libertinos atque ingenuos, tanquam contrariae ſortis homines, ſibi invicem oppoſitos ſemper ab auctoribus inveniri.* Aliter ſane idem Juſtinianus, *Cum uno*, inquit, *communi nomine omnes homines appellarentur, jure gentium tria hominum genera eſſe*

[1] Novell. 78.

coe-

*coeperunt; liberi, et his contrarium ſervi, et tertium genus libertini, qui deſierant eſſe ſervi* [1]. Ubi *liberi* ingenuos denotant, quibus *ſervi*, ut *contraria ſors* hominum, opponuntur; et *libertini*, tanquam medium genus, inter utroſque collocantur. Ingenuis tamen, quam ſervis, longe propius accedebant. Nam et cives erant; et eodem jure in pleriſque, quo ingenui, utebantur; cum ſervi contra, *quod attinet ad jus civile, pro nullis haberentur* [2]. In Suetonio autem more ſuo iterum labitur, quando dicit eum narrare, Auguſtum *neminem unquam libertinorum coenae adhibuiſſe*, excepto Mena. Nam de alio ſtatim loquens, adjicit Suetonius: *Ipſe ſcribit invitaſſe ſe quendam, in cujus villa*

[1] Inſt. De libert. §. 2. [2] R. J. l. 32.

*maneret*,

*maneret, qui ſpeculator ejus olim fuiſſet.* Porro quam bene haec, quibus adeo operoſe libertorum conditionem deprimere, et a principum conſuetudine illos arcere, laborat ; cum iis, quae ſupra de ſervis, ad amicitiam eorum admiſſis, tam acriter contendit, cohaerere videantur, penes alios ſit judicium. *Erat medicus,* Taciti verba ſunt, *arte inſignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis ſolitus, conſilii tamen copiam praebere. Is velut propria ad negotia digrediens, et per ſpeciem officii manum complexus, pulſum venarum attigit : neque fefellit : nam Tiberius incertum an offenſus, tantoque magis iram premens, inſtaurari epulas jubet, diſcumbitque ultra ſolitum, quaſi honori abeuntis amici tribueret* [1]. Medi-

[1] Annal. L. vi. c. 50.

cum

cum hunc Graecum fuiſſe nomen plane oſtendit. Sed qua conditione eum fuiſſe V. R. dicet? *Libertina*, opinor, vix concedet. Nam ſi Auguſtus adeo difficilem in id genus hominibus coenae adhibendis ſe praebuerit; multo minus Tiberium, longe ſeverioris ingenii principem, hoc facere voluiſſe, credendum eſt. Quid igitur? num *ſervum* fuiſſe cenſebit? Certe, ſi reliqua hiſtoria id fineret, haec ſententia cum iis, quae antea de *ſervis amicis* diſputavit, haud male convenire videretur: nam *amicus* Tiberii appellatur. Sed verba illa, *ad propria negotia digrediens*, non ſervum, ſed ſui juris hominem fuiſſe, manifeſto indicant. Quanti igitur *Graeculos* iſtos *eſurientes* Romani imperatores fecerint, ex hoc Chariclis exemplo videmus; quem Tibe-

rius non tantum *coenae adhibuit*, ſed *inſtaurari* etiam *epulas juſſit, quo honoris ſpeciem abeunti tribueret.* Neque inferiori quidem honore, ut idem hiſtoricus narrat, medicum ſuum *Xenophontem* Claudius imperator proſecutus eſt ; *cujus precibus* conceſſit, *ut omni tributo vacui in poſterum Coi, ſacram, et tanti Dei* [Æſculapii] *miniſtram, inſulam colerent*[1].

AD *Meadium* Vir Reverendus jam ſe totum convertit. Quae hic autem oppugnat, ad poſterius caput controverſiae ſpectant, quo labi eum videri dixit, " quod " *chirurgos a ceteris medicis di-* " *ſtingui* omnino et *ſegregari* " putaret ; cum utroſque com- " muni cum nomine, tum con-

[1] Annal. L. xii. c. 61.

" ditione

" ditione, apud veteres Romanos,
" uſos ſemper eſſe certiſſimum
" eſſet[1].

Ad ea igitur reſpiciens hic ita ſcribit: " Sed ad Meadium tan-
" dem noſtrum veniamus, qui in
" hac quaeſtione tractanda[2], in
" id unum totus incumbit, ut
" inuſtam *medicis* ſervitutis in-
" famiam in *chirurgos* penitus
" removeat; *illos* Romae ſemper
" ſplendidos, honoribuſque au-
" ctos, *hos* tantummodo ignobi-
" les, abjectos, ſerviles eſſe con-
" tendens. Utrique autem cum
" *medici* a veteribus appella-
" bantur, inde errorem hunc
" omnem naſci innuit, quod, quos
" eodem nomine appellatos viri
" docti obſervaſſent, eadem eti-
" am vitae conditione uſos crede-
" rent. Sed parum ei feliciter

[1] Vid. ſupra p. 6. [2] Orat. Harv. p. 8.

" in re probanda ſucceſſit: ex
" omnibus enim, quos enumerat,
" medicis, duos tantum profert,
" de quorum conditione certi a-
" liquid ac indubitati memoriae
" proditur; *Archagathum* ſcilicet,
" et *Antonium Muſam*: quorum
" ille quidem liber et civitate do-
" natus, ſed *chirurgus* certe, ſeu,
" ut *Plinius* eum vocat [1], *me-*
" *dicus vulnerarius*; hic autem,
" *medicus* plane ſummus, ſum-
" miſque honoribus ornatus, *Au-*
" *guſti* tamen, ut ſupra dixi, *ſer-*
" *vus* et *libertus* fuit [2]." Medicinae partes et ante Romanorum tempora, et apud ipſos, ita diſtributas fuiſſe, ut alii medicamentis, alii manu curarent, licet utrique interim communi *medicorum* nomine vocitarentur, mox oſtendemus, cum auctor

[1] Hiſt. L. xxix. c. 1. [2] Differt. p. 20, 21.

noſter

noſter hoc argumentum iterum reſumet. Priuſquam autem ad illud veniamus, alia nonnulla, quae viro doctiſſimo hic objiciuntur, conſiderare neceſſarium videtur.

" De reliquis illis, *inquit*, quo-
" rum *Romana* quidem nomina
" adducit, *Caſſiis, Calpetanis, Ar-*
" *runtiis*, &c. quid conſtituendum
" ſit, ex ſupra memoratis facile
" judicabimus: quos ſi cives ipſe,
" ingenuoſque omnes fuiſſe, cum
" Sponio credere poteſt; haud
" tamen aliis perſuadere credat,
" *nobiles* unquam *Romanos* artem
" illam exercuiſſe, quam vel *in-*
" *fimus* quiſque *gravitate ſua*
" *indignam* arbitrabatur; quam-
" que *nullus omnino Quiritium*,
" niſi ſero admodum, nec, ut
" *Clericus ipſe* fatetur, ante Caeſa-
" rum aetatem unquam attigit[1]."

[1] Differt. p. 21.

Quod

Quod ad *Romana* illa *nomina* attinet, Meadii verba ita ſe habent: *Omitto plura exempla memorare, neque vobis Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios, ſiſtam, Romana nomina, quae profeſſione medicinae et opibus claruerunt*[1]. Auctoris noſtri de nominibus hiſce opinionem ſupra vidimus, et, ni fallor, manifeſto ſatis refutavimus. Quod *Romana* autem *nomina* hic Meadius appellet, *ingenuos* fuiſſe *Romanos*, eum ſenſiſſe non neceſſario ſequitur: nec ubi Sponius illud affirmet, invenio. Ex loco autem, quem in margine V. R. adducit, Meadium ita exiſtimaſſe manifeſtum videtur[2]: qua in re non Clericum[3] modo, medicum eximium; ſed doctiſſimum etiam

[1] Orat. Harv. p. 10. [2] Diſſert. de numm. Syrn. p. 44.
[3] Hiſt. de la med. Par. iii. l. 1. c. 3.

theo-

theologum, Fabricium [1] dico, ὁμο-ψήφους habet. At nequit ſibi perſuadere V. R. *nobiles unquam Romanos artem illam exercuiſſe.* Si per *nobiles* hic *patricios* intelligat, non neceſſe eſt profecto, medicos iſtos ex eorum numero fuiſſe, cenſere. Nam honeſtiſſimae quaedam Romanorum gentes in diverſas familias, quarum aliae patriciae erant, aliae plebeiae, dividebantur. Neque aliter ſane fieri potuit, pro inſtabili ac fluxo rerum humanarum ſtatu, qui ſemper et ubique cernitur, quin nonnulli, ex claris et antiquis familiis orti, ad tenuem conditionem fuiſſent redacti. Alii bellis civilibus, et proſcriptionibus, facultates amiſerunt; alii vero luxu atque deliciis ſine dubio ipſas attriverunt et dilapidarunt. Cur mirum igi-

[1] Bibl. Graec. Vol. xiii. p. 47.

tur

tur videre debet, ſi quidam ex eorum poſteris medendi arte, qua nulla apud Romanos lucroſior fuit, fractas et perditas fortunas iterum reſarcire conati ſint? Certe ſua aetate bene natos haud defuiſſe indicat Seneca, qui in eam rerum ſuarum deſperationem venerant, ut ſecum dubitarent, *utrum ſe ad gladium locarent, an ad cultrum*[1]: hoc eſt, num gladiatores, an beſtiarii fierent. Quanto melius homines ejuſmodi rebus ſuis, ac famae conſuluerant; ſi ad honeſtam aliquam artem, qualis eſt medicina, ediſcendam atque exercendam opportune ſe recepiſſent? At vero ſi V. R. fidem habeamus, *vel infimus quiſque* Romanorum rem medicam *gravitate ſua indignam arbitrabatur.* Pli-

[1] Epiſt. 87.

nius

nium autem, cujus auctoritate hoc dicere prae ſe fert, non ita affirmaſſe ſupra probavimus [1]. Imo rem aliter ſe habuiſſe, ipſe proximus verbis agnoſcere videtur, ita ſcribens: *Nullus omnino Quiritium, niſi ſero admodum, nec, ut Clericus ipſe fatetur, ante Caeſarum aetatem unquam attigit.* Sub Caeſaribus igitur ſaltem *ingenui* erant *Romani*, qui medendi artem exercerent; quorum aliquot etiam ab ipſo Plinio commemorantur. Ex horum numero Auguſti temporibus fuerunt *Julius Baſſus* et *Sextius Niger*, quos *de medicina Graece ſcripſiſſe* dicit [2]; quorum poſterior etiam *diligentiſſimus medicinae* ab eo appellatur [3]. Item *C. Valgium* meminit, *unum illuſtrium*, ut ait, et *eruditione*

[1] Vid. p. 48, 49. [2] Hiſt. L. xx, &c. in Indice.
[3] L. viii. c. 3.

*ſpectatum*, qui *volumen ad Divum Auguſtum* ſcripſit [1]. His *Caſſium* adjungere Clericus non dubitat [2], quem inter *Romana nomina* recenſet Meadius, et qui Celſi elogio *ingenioſiſſimus ſeculi ſui medicus* audivit [3]. Sub Tiberio floruit, qui *Hippocratis Latini* nomen adeptus eſt, *Cornelius Celſus*; quem non tantum de arte ſcripſiſſe, ſed et eam exercuiſſe, viri eruditi dudum oſtenderunt [4]. Sub Claudii item imperio vixit *Scribonius Largus*, qui in Britannica expeditione hunc imperatorem comitatus eſt, ut ipſe teſtatur [5]. Praeterea inter auctores Romanos in Plinii *Indice* laudatos, *Opilium*, *Caecilium*, et *Granium* medicos legimus [6]; quo-

[1] L. xx. in Indice, *et* L. xxv. c. 2.
[2] Hiſt. de la med. Par. iii. l. 1. c. 2.
[3] Praef. ad Lib. i.
[4] Vid. Fabric. B. Gr. Vol. xiii. p. 127.
[5] Compoſ. 163. [6] L. xxviii, xxix.

rum

rum ultimum ex *gente Grania Romae antiquiſſima* ortum fuiſſe, cenſet Harduinus [1]. Item *L. Tuccii Vallae* medici alibi mentionem facit Plinius [2], quem *Tucciae familiae* idem vir doctiſſimus adſcribit. Nec cur fratres *Stertinii*, quos adducit celeberrimus Meadius, hic excludi debeant, rationem ſatis idoneam percipio. Graecos enim homines *cenſum* ſuum in *Neapoli operibus exornanda*, ut de iis tradit Plinius [3], *exhaurire* voluiſſe, haud probabile videtur. Alii quoque medici Romani, ſi id hic ageretur, ſequentibus temporibus ex Galeno, et aliis, facile proferri poſſent. Sed ex iis, quos jam memoravimus, quam longe erraverit V. R. cum *infimum quemque* artem medicam *gravitate ſua*

[1] Not. in Ind. auct. [2] L. vii. c. 53. [3] L. xxix. c. 1.

*indignam arbitratum fuiſſe* aſſeruit, ſatis manifeſto conſtat. Quare ſi *Caſſiis, Calpetanis*, ceteriſque a Meadio laudatis, vel actio liberalis jure intendi poſſet; alios certe ex familiis nec vetuſtate, nec dignitate inferioribus, iiſdem temporibus medicinae laude celebratos invenimus. Ante Caeſarum quidem aetatem vix, aut ne vix, forſan occurrunt; cujus rei cauſae non admodum obſcurae eſſe videntur. Graeca enim medicina haud L annos ante J. Caeſaris nativitatem Romae obtinuerat; quo tempore *gravitas* illa, vel potius *ferocitas* Romanorum, ad hanc artem capeſſendam vix dum ſatis molleſcere inceperat. Nec ab aliis, praeter Graecos, diſcere potuerunt; qui ſine dubio, ſi attentaſſent, viros philoſophiae, aliarumque liberalium artium non aeque expertos,

longe

longe praecelluiſſent. Haud brevi igitur temporis ſpatio ita haec medendi ars a Graecis omnino occupata fuit, ut fere ex interdicto VNDE VI cum illis agere potuerint, qui eam invaſiſſent. Porro dum ſtetit reſpublica, juvenes liberaliter inſtituti vel ad oratoriam, vel rem militarem plerumque ſe receperunt; quibus ſtudiis tunc temporis ad opes, et honores conſequendos aditus praecipue patuit. Sed longe aliter ſe res habuit, cum tota rerum adminiſtratio in unius poteſtatem devenit. Tunc enim in ſenatu, quem ὄργανον eloquentiae vocat Cicero, de graviſſimis rebus non libere, ut antea, differebant; ſed ad principis voluntatem ſententias ſuas attemperabant. Neque in judiciis idem dicendi genus coram principe, quod apud alios judices, adhibebatur. In exercitu quo-

que

que ordines et imperia haud amplius praemia virtutis erant, ſed ex gratia et favore conferebantur. Hinc magna et animorum et ſtudiorum converſio neceſſario ſecuta eſt ; atque inter alias vivendi rationes, quibus opes et divitiae acquiri poſſent, nonnulli medicae arti ſe applicuiſſe videntur. Verum enimvero Graecorum medicorum, teſte Plinio, tanta fama et exiſtimatio Romae fuit, ut non mirandum ſit, ſi Romani ipſi moleſte ferrent ac ſtomacharentur, quod cum iis, quos bello ſubjugaverant, de hac arte, ubi victoria longe erat difficilior, contendere neceſſe eſſet. Hinc *gravitas* eorum non *exercuit* ; et *pauciſſimi*, ad Graecos ſcilicet comparati, *attigere:* non ut V. R. explicat, quia *ſemper in dedecore ars tota* apud Romanos *jacuit* ; ſed quia de ſucceſſu potuis

tius in eam exercendo dubitaverint.

Sed, " Obſervat, *inquit*, vir ce-
" leberrimus, in nummo quodam
" *Rubriae familiae, anguem, Deae*
" *Salutis ſymbolum*, conſpici,
" quem ad florentem tunc in ea
" familia medicinae laudem *re-*
" *ferri omnino oportere* cenſet [1]:
" miraturque Patinum et Vail-
" lant, medicos quidem ambos, in
" nummis familiarum Romana-
" rum explicandis, *rem arti*
" *ſuae tam honorificam* praeter-
" miſiſſe. At in aliis etiam num-
" mis conſularibus, quos ipſe quo-
" que exhibet [2], uno ſcilicet *Ju-*
" *niae*, altero *Aciliae familiae*,
" ipſa *Deae Salutis* imago ex-
" preſſa cernitur: num medici
" propterea familiarum iſtarum
" principes? nihil ſane minus

[1] Orat. Harv. p. 11. [2] Ibid. p. 31.

" credendum [1] ". Si auctor noſter ſcriptorum verba, quos citat, ut apud illos leguntur, adducere curaſſet ; tota ſane haec diſputatio multo leviori opera deciſa fuiſſet : ſed neſcio unde fit, ut, non tam quod ipſi revera dicunt, quam quod cauſae ſuae maxime conducit, ſaepiſſime eos dicere faciat. Ita, ſi eum hic audiamus, clariſſimus Meadius anguem in nummo Rubriae familiae ad florentem tunc in illa familia medicinae laudem *referri omnino oportere* cenſet. Sed verba illius longe aliter ſonant, quae hoc pacto ipſe exprimit : *Praeterire autem nequeo, in nummis Rubriorum conſpici anguem, Deae Salutis ſignum, monumentum, ut videtur, familiae ſibi medicinae laudem vindicantis. Miror itaque in nummis iſtis explicandis*

[1] Differt. p. 21.

*neque*

*neque Patinum, neque Vaillant, viros de re nummaria optime meritos, hanc arti ſuae adeo honorificam, inter alias ejus rei cauſas longius petitas attuliſſe.* Nihil hic pro certo affirmatur; ſed alia tantum conjectura iis, quas Patinus et Vaillant de hac re antea obtulerant, adjicitur: quod ex verbis, *ut videtur*, manifeſto apparet. Si quis autem cum auctore noſtro ſentiat, nummum iſtum, utpote conſularem, antiquiorem eſſe, quam ut Romanae alicujus familiae ex arte medica decus eo exhiberi poſſit; monetariis etiam ſub Caeſaribus nonnunquam vel ſua, vel gentilitia ornamenta, in nummis exprimendi libertatem conceſſam fuiſſe, ut notarunt antiquarii, conſiderare eum oportet: licet conjectura haec V. R. minus arrideat, ſumma controverſiae nullo

modo hinc afficitur. Quod quaerit autem, num ſerpens in *Juniae* et *Aciliae* familiarum nummis medicos in iis quoque familiis fuiſſe indicat? Quis unquam ita aſſeruit? Certe ad aliam rem illuſtrandam a viro doctiſſ. adfertur. Atque idem ſymbolum variis de cauſis a veteribus adhiberi ſolitum nemo ignorat.

Sed ad diſcrimen inter *medicos* et *chirurgos* V. R. jam revertitur. " Dum autem a medicis, " *inquit*, contumeliam propulſare " conatur, caveat tandem vir " digniſſimus, ne in alios ipſe " quidem contumelioſus reperia- " tur; chirurgos velim, viros " ſane honeſtos, et reipublicae " utiles; quoſque a reliquis me- " dicis, nec nomine, nec condi- " tione, antiquitus unquam diſtin- " gui, aut ſegregari reperio: ni-

" ſi

" ſi fortaſſe credendum poti-
" us ſit, chirurgicam medicinae
" partem, cum antiquiorem,
" tum majori etiam apud ve-
" teres honore fuiſſe habitam.
" Ipſe quidem *Aeſculapius* non
" aliam ob cauſam in Deorum
" numerum relatus dicitur, quam
" quod *ſpecillum* (chirurgorum
" quoddam inſtrumentum) *in-*
" *venerit* [1], *primuſque vulnera ob-*
" *ligare docuerit* [2]". De chirurgiae antiquitate hic non contendam; quandoquidem, ut is mox bene obſervat, etiam Celſus *hanc medicinae partem apud Graecos vetuſtiſſimam fuiſſe* ſcribat [3]. Imo vix aliter profecto ex artis ipſius natura evenire potuit; cum res ſit magis obvia, et communi omnium ſenſui accom-

[1] Cic. De nat. Deor. L. iii. c. 22.
[2] Differt. p. 22. 23. [3] Praef. ad Lib. 1.

modata, vulneribus medendi rationes excogitare ; quam abditas morborum cauſas inveſtigare, et medicamenta iis relevandis idonea adhibere. Et dum illa tantum nota fuit, non mirum eſt inventores ejus, atque excultores, apud omnes, qui tanta ſibi commoda illorum opera ac beneficio provenire ſenſerint, ſummo honore habitos fuiſſe. At vero poſtquam ars morbis medendi inventa fuit, ac paulo accuratius exculta, qui *veteres* illos hanc chirurgiae haud praetuliſſe, credere poſſit; nae is ſane de illis, ut de craſſi admodum et tardi ingenii hominibus, ſentire videtur. Certe Celſum, qui de utraque parte in ſcriptis ſuis accurate tractavit, aliter judicaſſe mox videbimus.

Sed utcunque hoc fuerit, *chirurgos a reliquis medicis nec nomine,*

*mine, nec conditione antiquitus unquam diſtingui, aut ſegregari* ſe *reperire* V. R. dicit. Imo, " Hier. Mercurialis, *ut ait*, me- " dicus quidem ipſe doctiſſimus, " omnes priſcos medicos chirur- " gos fuiſſe agnoſcit ; atque ad " Galeni uſque tempora medica- " menta ſibi ipſis paraſſe : uti " *compertum habent*, inquit [1], " *qui in auctoribus antiquioribus*, " atque Hippocrate praecipue " ſunt verſati.

" Apud veteres certe Romanos " communi medicorum nomine " cum utroſque appellari, tum " utraſque ſimul medicinae par- " tes ab eodem ſemper exerceri " certiſſimum eſt. *Archagathus* " ille, qui omnium primus me- " dicinae profitendae cauſa e " Graecia Romam, anno ur-

[1] Var. lect. L. 1. c. 13.

" bis

" bis DXXXV, veniſſe dicitur [1], *chi-*
" *rurgus*, ut ante dixi, fuit, ta-
" bernamque ad operam locan-
" dam publice datam habuit.
" *Plautus* etiam, qui eodem
" tempore, ſeu poſterius aliquan-
" to floruit, de *medicis* quoties
" loquitur, haud alios ac *chirur-*
" *gos* eſſe confirmat [2]. *C. Mari-*
" *um* crura tumoribus quibuſdam
" deformata medico ſecanda ob-
" tuliſſe legimus [3]; et ſecandi a-
" cerbitatem ſine ullo doloris in-
" dicio pertuliſſe. *Cicero* de mili-
" te veterano ac exercitato lo-
" quens [4], ob vulnera fortiorem
" eum fieri dicit, nec requirere
" aliud, quam *medicum, a quo*
" *obligetur. Catonis medicum*
" *illum* ſupra memoratum *chi-*
" *rurgi* proprio munere fungen-
" tem vidimus. Gladiatorum

[1] Plin. Hiſt. L. xxix. c. 1. [2] Menaec. v. 3.
[3] Plut. in C. Mar. [4] Tuſc. quaeſt. L. ii. 38.

" denique

" denique *ludi ſinguli*, ut ex in-
" ſcriptionibus plurimis apparet,
" ſingulos ſibi medicos habue-
" runt, in utrumque certe, tum
" *valetudinem tuendam*, tum *vul-*
" *nera medenda*, paratos aeque
" ac inſtructos.

" Imperatorum autem poſtea
" temporibus, cum civium ſimul
" et medicorum multitudo in
" immenſum quaſi excreviſſet ;
" atque in urbe opibus omnibus
" abundante, vel *quaelibet me-*
" *dicinae pars* vectigal, quae-
" ſtumque ſatis amplum profi-
" tentibus conficere valeret ; tum
" primum in partes varias ſecari
" quaſi, et dividi medendi ars ;
" tum ſingulae deinceps a ſingu-
" lis tractari, et adminiſtrari ;
" tum vel minima quaeque cor-
" poris pars, certuſve quilibet
" dolor *medicos ſibi proprios*
" et *unice addictos* habere coe-
" pit :

" pit [1] : atque hinc denique *clini-*
" *corum, chirurgorum, oculario-*
" *rum, auricularíorum*, &c. no-
" mina effluxere ; quae tamen
" omnia uni interdum, eidemque
" adhuc competere, ex inſcri-
" ptione ſupra allata, atque aliis
" multis liquet.

" *Poſtremis temporibus*, in-
" quit Menagius [2], *partem illam*
" *medicinae, quae manu mede-*
" *tur, ab aliis homines ſejun-*
" *xerunt : quando factum hoc*
" *diſſidium, dixerit alius, non*
" *ego : certe poſt Antoninos*. Scio
" autem Celſum, prout a Clerico
" citatur [3], multis antea annis fa-
" ctam hanc medicinae partitio-
" nem indicare videri : dubitat
" autem vir eruditus, an Celſus
" de ea, tanquam facta jam, et

[1] L. 1. §. 3. ff. de var. et extraord. cogn.
[2] Amoenitat. Jur. civ. c. 35. p. 42.
[3] Hiſt. de la medicine, Par. ii. l. 1. c. 9.

" in

" in uſum perducta ; an de re
" ſolum utili, quamque inſtitu-
" endam exoptarat, eſſet locutus;
" cum Celſi ipſius aetate, anti-
" quum adhuc morem obtinuiſſe,
" omneſque ſimul medicinae par-
" tes ab uno eodemque tractatas
" ſaepe eſſe appareat.

" Quicquid vero de hac re ſta-
" tuamus ; hoc unum certiſſi-
" mum eſt, *medicos* et *chirurgos*
" pari ſemper conditione et di-
" gnitate apud veteres Romanos
" extitiſſe [1] ". Nomen *medicus* tam lata ſignificatione apud veteres uſurpari, ut *chirurgos* etiam complectatur, ſatis notum eſt. Imo queritur Scribonius Largus, *multos unius partis ſanandi ſcientia medici plenum nomen conſecutos* [2]. Juriſconſulti autem dubitanter de his loqui

[1] Differt. p. 23, 24, 25. [2] In Epiſt. ad C. J. Calliſtum.

videntur. *Medicos fortaſſis*, inquit Ulpianus, *quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur* [1]. Mulieribus tamen tribuunt: nam *de medicis utriuſque ſexus* in jure Romano legimus, qui in *medicos* et *obſtetrices* ſtatim diſtinguuntur [2]. Quanquam autem nomen *medicus* communi uſu tam late pateret; ars tamen ipſa ita dividebatur, ut alii *morbis*, alii *vulneribus* mederentur: neque id tantum, ſed qui morbos curabant, etiam *artis dignitate* praecellere cenſebantur; unde et *medicorum* nomen his eminentiori vocis ſignificatu adhaeſit, dum illis *chirurgorum* appellatio tribueretur. At V. R. *nec nomine, nec conditione antiquitus unquam di-*

[1] L. 1. §. 3. ff. de extr. cognit.
[2] L. 3. C. commun. de legat.

*ſtingui:*

*ſtingui: apud veteres certe Romanos, communi medicorum nomine cum utroſque appellari, tum utraſque ſimul medicinae partes ab eodem ſemper exerceri*; etiam *pari conditione et dignitate extitiſſe*, aſſerit.

Sed ad totam hanc rem decidendam Celſus, graviſſimus teſtis, opportune ſe nobis offert. Primum igitur, quid de *artis partitione* is dicat, audiamus. *Hippocrates Cous*, inquit, *primus quidem ex omnibus memoria dignus, ab ſtudio ſapientiae diſciplinam hanc ſeparavit, vir et arte et facundia inſignis. Poſt quem Diocles Caryſtius, deinde Praxagaras et Chryſippus, tum Herophilus et Eraſiſtratus, ſic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diverſas vias proceſſerint. Iiſdem temporibus in tres partes medicina diducta eſt: ut una eſſet, quae*

*quae victu; altera, quae medicamentis; tertia, quae manu mederetur*[1]. Et in alio loco de chirurgia loquens: *Haec autem pars, cum ſit vetuſtiſſima, magis tamen ab illo parente omnis medicinae Hippocrate, quam a prioribus exculta eſt. Deinde poſteaquam diducta ab aliis habere profeſſores ſuos coepit, in Aegypto quoque increvit, Philoxeno maxime auctore, qui plurimis voluminibus hanc partem diligentiſſime comprehendit. Gorgias quoque, et Soſtratius, et Hermes, et Apollonii duo, et Ammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, ſinguli quaedam repererunt. Ac Romae quoque non mediocres profeſſores, maximeque nuper Tryphon pater, et Euelpiſtus Phlegetis filius, et ut ex ſcriptis ejus intelligi poteſt,*

[1] Praef. ad L. i.

*horum*

*horum eruditiſſimus Meges, quibuſdam in melius mutatis, aliquantum ei diſciplinae adjecerunt. Eſſe autem chirurgus debet adoleſcens, aut certe adoleſcentiae propior; manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam intremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus; acie oculorum acri, claraque; animo intrepidus*, &c [1]. Quid plenius, aut verbis clarioribus exprimi poteſt? Nimirum, ut Hippocrates ipſe medicinam a philoſophia ſeparavit; ita ſecundo poſt ſeculo *chirurgiam ab aliis ejus partibus diductam fuiſſe*, et *profeſſores ſuos habuiſſe* dicit; quorum nonnullos etiam, qui *Romae vixerunt*, commemorat. Et ne quis ſuſpicetur Celſum de artis potius, quam hominum diviſione loqui,

[1] Praef. ad L. vii.

atque

atque hos *chirurgiae profeſſores* eodem tempore eam quoque medicinae partem, quae morbis medetur, exercere ſolitos ; certe Craſſi verba apud Ciceronem contrarium diu ante Caeſares in uſu fuiſſe apertiſſime demonſtrant. *Tum Craſſus, Non in hac, inquit, una, Catule, re* [oratoria ſcil.] *ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione, magnitudines ſunt artium diminutae. An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios medicos, qui morbis ; alios, qui vulneribus ; alios, qui oculis mederentur* [1] ? Atque hinc ratio manifeſta apparet, cur *Archagathus* a Plinio *vulnerarius* appelletur : nimirum quod eam medicinae partem ſolummodo exercebat.

[1] De orat. Lib. iii. c. 33.

Nam

Num ſi morbis quoque mederi profeſſus eſſet, cur Plinius ita illum nominaverit, nec *medicum* vocaſſe contentus fuerit, nullam profecto cauſam probabilem concipere poſſum. Ex contemtu quidem id factum V. R. opinor, nequaquam admittet, qui *medicos et chirurgos pari ſemper conditione et dignitate apud veteres Romanos extitiſſe* contendat. Sed, ut ſupra explicatum fuit, Romani Archagatho, totique illius medicinae rationi, adeo infenſi fuere, ut medicos, qui Romam proximi venerunt, artique ſuae cives primi conciliarunt, non chirurgos, ſed clinicos fuiſſe, veriſimillimum videatur. Poſtea vero etiam illos iterum admiſſos fuiſſe, atque artem ſuam cum laude illic exercuiſſe, non ex Celſo tantum, ſed aliis etiam intelligimus. *Alconis* enim *vulnerum medici*

*medici*, qui ſub Claudio vixit, mentionem facit Plinius[1]. Multos etiam *chirurgos* Scribonius Largus paſſim commemorat, cujus ſequentia verba notatu digna videntur : *Quamvis ex magna parte ad diaetaeticos pertinentes compoſitiones jam exhibuerimus ; tamen quaſi claudicat et vacillat hic liber, niſi eas quoque compoſitiones, quae ad chirurgos pertinent, poſuerimus : quare initium ex emplaſtris faciemus*[2]. Porro uſitatum eſt ei loquendi genus, cum de *medicamentis* verba facit, *medicorum* appellare; cum vero de *emplaſtris*, *chirurgorum*. Sic, *Caſſii medici colice*[3], *antidotus Marciani medici*[4]; *emplaſtrum* vero *chirurgi Tryphonis*[5], *emplaſtrum Megetis chirurgi*[6], et ſaepe alias. Unde *medici* appellatio-

[1] L. xxix. c. 1. [2] Compoſ. cc. [3] Ibid. cxx.
[4] Ib. clxxvii. [5] Ib. cci. [6] Ib. ccii.

nem,

nem κατ' ἐξοχήν, ut aiunt, iis, qui morbis mederentur, illum attribuiſſe patet. Galeni et aliorum poſterioris aevi teſtimonia ad hanc rem confirmandam adducere, omnino ſupervacaneum exiſtimo. Sed ut illud obiter notem: quae tam Craſſus, quam Celſus, de medicinae partitione poſt Hippocratem facta ſcribunt, ad tempus quo apud Graecos fieri coepit, tantum ſpectare videntur. Nam Herodotus profecto, qui Hippocrati aequalis fuit, apud Aegyptios etiam ſua aetate ſingulorum morborum medicos fuiſſe narrat. Verba illius ſunt: Ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασται· μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, οὐ δὲ πλεόνων πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ κατὰ νηδύν, οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων [1].

[1] Hiſt. L. ii. c. 84.

Haec medendi artis in Aegypto partitio, ut deſcribit Herodotus, ab ea Graecorum longe fuit diverſa. Poſterioribus autem ſeculis Graecanicam iſtam illic obtinuiſſe, Celſi verba indicare videntur.

Sed tres viros eruditos, *Mercurialem* ſcil. *Clericum*, et *Menagium*, in partes ſuas pertrahere V. R. conatur. *Mercurialis* autem verba paulo plenius hic adſcribere non pigebit. *Adjiciam*, inquit, *et illud, tempore Hippocratis conſuevisſe medicos domibus propriis languentes alere, ut majori ſedulitate eos curarent: de chirurgis loquor, quales fuisſe omnes priſcos medicos, ſatis compertum habent, qui in auctoribus antiquioribus, et praeſertim Hippocratis monumentis legendis ſunt diligenter verſati: imo uſque ad tempora Galeni etiam ſibi ipſis medi-*

*medicamenta parare ſolitos fuiſſe, multis ex ejus commentariis colligitur.* Quoſnam hic *priſcos medicos* intellexerit Mercurialis, ex eo liquido ſatis ſignificaſſe videtur; quod ad *Hippocratis praeſertim monumenta* nos mittit, unde medendi eorum rationem diſcere poſſimus. Sed quid hoc ad Celſi *partitionem*, cujus auctores, diu quidem poſt Hippocratem, at multos tamen annos ante Caeſarum aetatem vixiſſe narrat? Quod ſcribit autem Mercurialis, *medicos uſque ad tempora Galeni etiam ſibi ipſis medicamenta parare ſolitos fuiſſe*; ut de *omnibus* id univerſe accipiatur, verba illius non requirere videntur. Et Plinius certe ſui temporis medicos, quod illud neglexerint, more ſolito anſam increpandi arripit. *Haec omnia*, inquit, *medici* (*quod pace eorum*

*dixiſſe liceat*) *ignorant, pars major et nomina; in tantum a conficiendis medicaminibus abſunt, quod eſſe proprium medicinae ſolebat. Nam quoties incidêre in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc eſt, impendio miſerorum experiri commentaria, credunt Seplaſiae omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidem facta emplaſtra et collyria mercantur; tabeſque mercium, aut fraus Seplaſiae ſic exteritur* [1]. Hos medicaminum venditores Scribonius Largus *inſtitores pigmentarios* appellat. *Verum*, inquit, *adjicere oportet, quod ex lacte ipſo ſilvatici papaveris capitum fit, non ex ſucco foliorum ejus, ut pigmentarii inſtitores ejus rei compendii cauſa faciunt* [2]. Idem hominum genus

[1] Hiſt. L. xxxiv. c. 11. [2] Compoſ. xxii.

doctiſ-

doctiſſimus Salmaſius ita deſcribit: *Pharmacopolas noſtros eſſe conſtat diverſos a veterum Graecorum pharmacopolis. Iidem quippe cum pigmentariis Romanorum, qui omnium rerum inſtitores erant, quaecunque ad medicinam pertinent. Herbas medicas colligebant, condiebant, ſervabant, ſuccos ex his eliciebant, medicamenta etiam plerumque componebant, quae medicis venderent*[1]. Sic apud Galenum memoratur *Pamphilus* quidam μιγματοπώλης[2]. Celebratiſſimis autem medicis, tam apud Graecos, quam Romanos, mos plerumque fuit, ſervos, qui medicamenta ſibi componerent, domibus ſuis retinere. Ita Scribonius Largus: *Caſſii medici colice bona, multis nota propter effectus vera haec eſt, ut ab ejus*

[1] Proleg. in Exerc. De hom. hyl. iatr.
[2] L. vii. De comp. med. ſec. loc. c. 3.

*ſervo*

*ſervo Atimeto accepi, legato Tiberii Caeſaris, quia is eam ſolitus erat ei componere* [1]. Hoc veterum medicorum curam et ſedulitatem forſan oſtendat, in dedecus vero eorum nequaquam cedit.

Sed ad *Clericum* venio, *qui*, ſi V. R. fidem habeamus, *dubitat, an Celſus de ea medicinae partitione, tanquam facta; an ſolum exoptanda, eſſet locutus.* Ceterum qui Clerici ipſius verba inſpexerit, contrarium, ni fallor, plane percipiet. *Ce fut*, inquit, *à peu près du temps d'Hérophile et d'Eraſiſtrate, ſelon la remarque de Celſe, que la médecine, qui juſqu'alors avoit éte exercée avec toutes ces dépendances par une perſonne ſeule, fut partagée en trois parties, dont chacune fit*

[1] Compoſ. cxx.

*dans*

*dans la ſuite l'occupation de trois perſonnes differentes. Ces trois parties furent la médecine dietétique, la pharmaceutique, et la chirurgique.* At mox quidem: *Pour revenir au partage de la médecine, nous l'avons expliqué préciſement au ſens de Celſe, qui l'a reglé de cette maniere ; ſoit que la choſe ſe pratiquât effectivement ainſi de ſon temps, ſoit qu'il ait voulu ſimplement marquer, comme elle devoit aller.* Hoc autem de illa parte praecipue, quam *pharmaceutique* appellavit, ſe intellexiſſe, tum ex iis, quae proxime ſequuntur, plane ſignificat ; tum ex ſequentis etiam capitis initio, quod ita ſe habet: *La chirurgie en particulier ſemble avoir éte plus réellement ſeparée du tronc de la médecine, que la pharmacie.* Et deinde per totum iſtud caput celeberrimos apud veteres

veteres chirurgos recenſet. *Chirurgiam* igitur a reliquo medicinae corpore ſeparatam fuiſſe, ſuoſque profeſſores habuiſſe, non dubitavit Clericus; ſed num *pharmaceutice* etiam revera ſejuncta fuiſſet, hoc quidem dubitaſſe videtur.

Quod ad *Menagium* attinet, *hanc partitionem poſt Antoninos* diſertim collocat; ſed nil mirandum, ſi juriſconſultus quidem, licet alioquin eruditus, in medicis rebus forte caecutiret.

Neque exempla, quae ex antiquis ſcriptoribus auctor noſter adducit, ad cauſam ſuam tuendam magis conferre videntur. *Archagathum chirurgum* fuiſſe ex Plinio diſcimus, doceat igitur V. R. in morbis quoque medendis eum verſatum fuiſſe: nam *medici* appellationem horum utrique generi communem fuiſſe

inter

inter omnes convenit. Haud tamen diffitendum eſt nonnullos, etiam poſt artis diviſionem a Celſo memoratam, et morborum et vulnerum medicinam exercuiſſe; qualis *medicus* iſte in Plauti *Menaechmis* ridicule ſatis fingitur. Ejuſmodi quoque fuiſſe, qui caſtra ſequerentur, veriſimile videtur. Quemadmodum et hodie chirurgi noſtri navales, ac ſaepe caſtrenſes, utroque munere funguntur. At nemo certe ex eo chirurgiam a reliqua medicina apud nos non revera ſeparari, aut medicos et chirurgos idem genus hominum eſſe dicet. Hinc igitur quid de *medico* illo *C. Marii*, atque etiam *militis veterani* apud Ciceronem, ſtatui oporteat, ſatis perſpicue videmus. Praeterea, ſi quis *domeſticos* illos *medicos* utramque provinciam haud raro adminiſtraſſe exiſtimet,

cum eo nequaquam contendam. Etenim cum familiae valetudo eorum curae committeretur, qui in utramque partem parati eſſent et inſtructi, quantum liceret, domini ſine dubio conquirebant. Atque ex horum numero *Catonis* fuerat *medicus*, qui tunc patronum ſequeretur. Verum proceres Romanos, alioſque viros illuſtres, medicis hiſce ſalutem ſuam prorſus commiſiſſe, quis credet? Operam eorum, qui artem publice exercebant, annuo ſalario conduxiſſe ſupra oſtendimus: neque illud tantum, ſed et aliorum *profeſſorum*, arte inſignium, quoties res poſtularet, conſilium adhibere ſolebant. Ita *Chariclem, non regere valetudines* Tiberii, ſed *conſilii copiam praebere* ſolitum fuiſſe, tradit Tacitus. Et eodem ſenſu forſan illa Lampridii verba de Alexandro Severo intelligi poſſint:

ſint: *Medicus ſub eo unus palatinus ſalarium accepit; ceteri omnes, qui uſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant*[1]. Ex his ſeptem medicis valetudo imperatoris primo praeſertim commiſſa fuiſſe videtur; reliquorum autem conſilio, pro re nata, utebatur. Poſt ea, quae hactenus diximus, in *ludis gladiatorum* utrumque munus ab eodem homine praeſtitum fuiſſe, nemo, opinor, demirabitur. Sed fruſtra eſt V. R. cum ait, *imperatorum temporibus primum in partes varias* ita *ſecari quaſi, et dividi medendi artem*, ut *vel minima quaeque corporis pars medicos ſibi proprios habere coeperit*. Nam Craſſi oratoris aetate medicos fuiſſe, qui *oculos* ſolum mederentur, ſupra vidimus.

[1] Lamprid. in vit. c. 42.

Poſtea tamen nonnullos omnes ſimul partes exercuiſſe ex inſcriptionibus ſatis conſtat. Neque id mirum ſane in ea urbe, qua, ut ſcribit Plinius, *cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim crederetur* [1]. At quales iſtos homines fuiſſe credamus? Vix dubitandum eſt, id, quod plerumque evenit, iis etiam temporibus in uſu fuiſſe, ut quo minus quis ſciret, eo plura profiteretur. Si Plinium certe inſpiciamus, ubi tot medicos fama et arte inſignes apud Romanos recenſet, quae de medendi illorum ratione commemorat, nihil omnino cum chirurgia habent communia; *Archagatho* tantum et *Alconte* exceptis, quos a ceteris igitur diſtinguit, alterum *vulnerarium*, alterum *vulnerum medicum* appel-

[1] Hiſt. L. xxix. c. 1.

lans.

lans. Quo conſilio id factum exiſtimare debemus? Nonne clarum et apertum eſt indicium, reliquos non vulneribus, ſed morbis medendis ſe totos addixiſſe? Praeterea, opera quaedam *Antonii Muſae*, et *Themiſonis*, plura vero *Aſclepiadis* ab antiquis ſcriptoribus laudantur, quorum nulla ad chirurgiam ſpectant[1]. Neque omitti hic debet carmen illud Martialis, toties in hac quaeſtione laudatum:

*Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus;*
*Coepit, quo poterat, clinicus eſſe modo*[2].

Jam ſi omnis *chirurgus* etiam *clinicus* fuiſſet apud Romanos, qua ratione Diaulus, ex chirurgo veſpillo factus, tunc clinicus eſſe

[1] Vid. Fabric. B. G. Vol. xiii. p. 65, 90, 432.
[2] Lib. i. Epigr. 31.

coepit?

coepit ? Perit omnino jocus, ex ambiguitate vocis *clinici* petitus, ni *chirurgia* et *clinice* diverſorum hominum munera fuiſſent. Ex iis igitur quae hactenus diximus, quam temere et inconſulto auctor noſter, *apud veteres Romanos utraſque ſimul medicinae partes ab eodem ſemper exerceri*, affirmaverit, omnes, opinor, facile percipient.

Ad praeſtantiam igitur et *dignitatem* illius medicinae partis, quae morbis mederi profitetur, jam procedimus. Neque aperte minus chirurgiae praeponit Celſus, quam ab ea diſtinguit. *Ex tribus*, inquit, *medicinae partibus, ut difficillima, ſic etiam clariſſima eſt ea, quae morbis medetur* [1]. Quid planius, aut diſerte magis exprimi potuit ? At

[1] Praef. ad Lib. i.

non

non artis, ſed hominum *dignitatem* ſcilicet V. R. dixit. Ceterum vix ea, ut arbitror, ſeparanda eſſe contendet, quae communi omnium conſuetudine conjuncta intelliguntur. Quis enim neſcit artis praerogativam profeſſoribus etiam praelationem vulgo tribuere?

Sed nequaquam hic praetermitti oportet, quod in operis initio *Juris Civilis Profeſſorem Regium* ſibi declaraſſe dixit: nimirum " haud credere ſe, *chirurgos* " a *reliquis medicis* antiquitus ſe- " jungi; at contra, quaſi ii po- " tius pro medicis ſoli eſſent ha- " bendi, non meminiſſe aliam in " jure civili medicorum fieri " mentionem, ac eorum, qui *ma-* " *nu curare*, ſeu *ſecare* conſue- " verint [1]". Hanc ſententiam

[1] Differt. p. 5.

lege

lege quadam in margine citata confirmat. *Si medicus ſervum imperite ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia competere actionem* [1]. At ſequitur ſtatim lege proxime ſequenti: *Idem juris eſt, ſi medicamento perperam uſus eſt.* Jam autem *ſecare*, et *medicamento uti*, tam diverſam notionem habent, ut altero loquendi modo *chirurgus*, altero *clinicus* ſignificetur. Item in alia lege: *Nec ſumtum medicamentorum medicus libertus recte petet, quem ut patronam, ejuſque familiam curaret, acceptabat* [2]. Unde igitur conſtabit in duabus hiſce poſterioribus legibus chirurgos, et non clinicos potius medicos deſignari? Ad haec de *archiatris* in jure Romano ſaepius legimus. Num et hi quo-

[1] L. 7. §. 8. ff. Ad leg. Aquil.
[2] L. 10. §. 3. ff. De ann. legat. et fideicomm.

que inter *chirurgos* numerari debent?

Sed auctor noſter oratorum ritu graviſſimam accuſationis partem ad ultimum locum reſervavit. " Meadius autem, *inquit*, " ne, ſi nihil omnino de ignobili medicorum veterum ſtatu " fateretur, obſtinatum nimis " et pervicacem ſeſe oſtenderet, " concedere tandem aliquid videtur; ſed tanta verborum obſcuritate involutum, et quaſi vi " extortum, ut ſenſum inde vix " ullum quidem, nedum clarum " et diſtinctum elicere facile valeamus: ejuſque ideo verba integra huc appoſui, ut ſolertior " aliquis ea mihi expedienda ſuſcipiat.

" *Nihil igitur ſervile*, inquit " ille [1], *aut tenue quidem, artem*

[1] Orat. Harv. p. 9.

" *noſtram adhuc dedecorat. Sed*
" *ut plane et ſine fuco totam rem*
" *dicam, ſimul cum ingenuis mul-*
" *tis, et doctis viris, non pauci*
" *ſcientiae et fortunae bonis in-*
" *feriores illis temporibus Ro-*
" *mam veniebant; qui etſi non*
" *medicamentis, ſed manu cura-*
" *rent, medici tamen appellaban-*
" *tur. Hi in divitum et magna-*
" *tum clientelam ſe conferebant,*
" *et ſervi agebant, donec civita-*
" *tem conſequerentur; inde li-*
" *berti, nomen alicujus familiae*
" *Romanae ſibi adſciſcere ſole-*
" *bant; neque raro, ſi ingenium*
" *ſtudio literarum excoluiſſent,*
" *morbis etiam internis mede-*
" *bantur, et in medicorum clini-*
" *corum cenſum veniebant. Tali*
" *conditione fuit Antonius Mu-*
" *ſa*, &c.

" Haec ille; ſed ut mihi qui-
" dem videtur, cum verbis, tum
" ſenten-

" ſententiis ſibi ipſi plane repu-
" gnans: ut enim alia omittam;
" ego ſane haud intelligo, quem-
" admodum ii, qui e Graecia
" *ſponte* quidem veniſſent, atque
" in divitum clientelam ſeſe con-
" tuliſſent, *ſervos* deinde *Romae*
" *agere*, iidemque *magnatum cli-*
" *entes* et *ſervi* ſimul eſſe poſ-
" ſent? Hujuſmodi autem omnia,
" (ſive errata, ſeu minus tantum
" accurata vocemus) et longe
" quidem majora, tali certe viro
" facile ſunt ignoſcenda; cui tan-
" tis rebus occupato, otium ad
" hujuſmodi nugas exquirendas
" nullo modo ſuppetit; cujuſque
" aſſiduis occupationibus quan-
" tum unquam morae interpona-
" tur, tantum ſane de publicis
" commodis detrahitur [1]".

[1] Differt. p. 25, 26.

Totum hunc Meadii locum adeo perabſurdum eſſe V. R. pronunciat, ut *cum verbis, tum ſententiis ſibi ipſi plane repugnet.* Prudenter autem fecit, quod, reliquis omnibus aliorum conjecturae relictis, unum tantum commemoret, quod ſpeciem aliquam repugnantiae in ſe continere videtur. Nequit ſcilicet *intelligere, quemadmodum ii, qui e Graecia ſponte quidem veniſſent, atque in divitum clientelam ſeſe contuliſſent,* ſervos *deinde* Romae agere, *iidemque* magnatum clientes *et* ſervi *ſimul eſſe poſſent.* Miror autem V. R. non obſervaſſe, quicquid hic repugnantiae ſit, non Meadii eſſe, ſed ſuum. Nam vox *clientes* apud Meadium non occurrit. *Clientes* quidem non *ſervi,* ſed *liberi homines* fuerunt; *clientela* vero haud ſemper ad ſtrictum illud *jus patronatus,* a Romulo

Romulo conſtitutum[1], refertur; ſed latiori ſenſu nonnunquam accipitur. Ita Chaerea apud Terentium:

*Thais ſe patri commendavit: in clientelam et fidem*
*Nobis dedit ſe*[2].

Ubi vox *clientela* non ea omnia complectitur, quae inter patronum et clientem Romuli conſtitutio poſtulavit; ſed *ſui* tantum, ac *ſuarum rerum defenſionem* denotat. Haud ignoro hanc Graecam eſſe fabulam; at ni eo ſenſu vox apud Romanos uſurpata fuiſſet, ſcriptor accuratiſſimus aliam adhibuiſſet. Sed juriſconſulti etiam ita utuntur. *Si quis poſt hanc noſtri numinis ſanctionem, in fraudem, circumſcriptionemque publicae functionis, ad pa-*

[1] Vid. Dion. Halicar. L. ii. c. 9. 10, 11.
[2] Eun. v. 8, 9.

*trocinium*

*trocinium cujuſcunque conditionis confugerit ; id, quod hujus rei gratia geritur ſub praetextu donationis, vel venditionis, ſeu conductionis, aut cujuſlibet alterius contractus, nullam habeat firmitatem.* Et poſt pauca : *Hae autem perſonae quae contra publicam utilitatem in clientelam ſuſcepiſſe collatores detectae fuerint ; nobiliores quidem centum auri librarum condemnationem ſubire cogentur, mediocris vero fortunae facultatum ſuarum amiſſione plectentur* [1]. Quod prius *patrocinium*, mox *clientela* hic dicitur ; et utroque vocabulo ruſticorum *collatorum* tutela ac defenſio, in fraudem fiſci aut aliorum creditorum, ſignificatur. Proinde *ſervos* etiam in hoc *patrocinii* vel *clientelae* genus ſuſcipi potuiſſe, ex proxima lege in-

[1] L. 1. C. Ut nemo ad ſuum patrocinium &c.

telli-

telligimus; quae praecipit, *Ne quis vicanis patrocinium polliceatur, vel agricolas in clientelam ſuſcipiat, redituum alteriuſve lucri promiſſione recepta; et ut qui haec non ſervaverit, ſupradictis poenis, majorique commotioni ſubjaceat. Praeterea ut vicani, ſi ſervi ſint, dominis caſtigati reddantur: ſi liberi* xx *libris multentur*, &c [1]. Quapropter, etſi *clientum* appellatio liberis ſolum hominibus tribuatur, *clientelam* tamen latiori ſenſu uſurpari, quam ut clientes proprie dictos ſemper reſpiciat, perſpicuum eſt. Atque idem aliis vocibus conjugatis uſu veniſſe, ut aliae aliis plura ſignificent, invenimus. Unum exemplum adferam, quo rem ita ſe habere V. R. facile conceſſurum, perſuaſum habeo. *Familia*, inquit Ul-

[1] Ibid. l. 2.

pianus,

pianus, *varie accepta eſt; nam et in res, et in perſonas deducitur. In res, utputa in Lege* XII *Tabularum his verbis*: adgnatus proximus familiam habeto. *Ad perſonas autem refertur familiae ſignificatio ita, cum de patrono et liberto loquitur lex*: ex ea familia *inquit* in eam familiam, *&c* [1]. Atque idem alibi: *Familiae appellatione omnes, qui in ſervitio ſunt, continentur: etiam liberi homines, qui ei bona fide ſerviunt, vel alieni: accipe eos quoque, qui in poteſtate ejus ſunt* [2]. At vero aut *famulus* de ſervo tantum dicitur; aut V. R. argumentum de Pyrrhi regis medico, quem Claudianus *famulum* ejus appellat [3], hinc plane evertitur. In ſumma ergo, ut non omnes in *familia* erant *famu-*

[1] V. S. l. 195. §. 1. [2] L. 25. §. 2. ff. De aedil. edict.
[3] Vid. ſupra, p. 124.

*li*,

*li,* ita nec omnes in *clientela* erant *clientes.* Cum Graecos igitur medicos tenuis fortunae, ac notae obſcurioris, *in divitum et magnatum clientelam ſe* nonnunquam *contuliſſe, et ſervos egiſſe,* dicit clariſſimus Meadius; quidnam ſit in *verbis* repugnantiae, neutiquam percipio. Et quod ad *ſententiam* attinet, tangit ſane hunc morem libertus apud Petronium, qui alteri interroganti, *Quare ſerviviſti ?* reſpondet: *Quia ipſe me dedi in ſervitutem, et malui civis Romanus eſſe, quam tributarius. Et nunc ſpero me ſic vivere, ut nemini jocus ſim, homo inter homines ſuos* [1]. Ad quem locum doctiſſimus Burmannus, *Hac arte,* inquit, *peregrini emebant civitatem Romanam, dando ſe in*

[1] Satyric. cap. 57.

*ſervitutem Romano, adjecto pacto, ut manumitterentur.* Porro jure civili liberum hominem ſervituti ſe ſubjicere potuiſſe docemur[1]. En igitur, quod *tanta verborum obſcuritate involutum, et quaſi vi extortum* eſſe, *ut ſenſum inde vix ullum quidem, nedum clarum et diſtinctum elicere facile valeamus*, auctor noſter exclamat! Sed cum *parturiunt montes*, qualis foetus expectandus ſit, olim monuit poeta.

CETERUM non ab re forſan erit, ſi jam paululum reſpicientes, illam auctoris noſtri admonitionem conſideremus, cum ait, *Dum a medicis contumeliam propulſare conatur, caveat tandem vir digniſſimus, ne in alios ipſe quidem contumelioſus reperiatur; chirurgos velim, viros ſane*

[1] L. 5. §. 1. ff. De ſtatu hom.

*honeſtos,*

*honeſtos, et reipublicae utiles.* Cur autem digniſſimus Meadius in chirurgos iſtos, quos ſponte ſua in brevem ſervitutem ſe tradidiſſe cenſeat, magis contumelioſus haberi debet ; quam V. ipſe R. in omnes medicos, quos non *ſervos* tantum, idque invitos, ſed *mortalium* etiam *humillimos* appellet ? Pulcherrime ſane ab hoc ſtrenuo chirurgorum patrono *viri* iſti *honeſti, et reipublicae utiles* adornantur ; dum ipſos *infimae* et *extremae ſortis homines, Graeculos fugitivos* et *eſurientes* ; artemque illorum *illiberalem, ſordidam,* ac *civeprorſus indignam* fuiſſe pronunciet. At reliquis interim medicis haud contemtiores fuiſſe affirmat. Recte quidem. Magna igitur erit conſolatio, quod non ſolos, ſed conjunctim cum aliis eos traduxerit, et inter viliſſima atque

abjectiſſima mancipia collocaverit!

At " Clericus, *inquit*, in libro " illo, quo medendi hiſtoriam " diligenter et erudite contexuit, " hanc omnem quaeſtionem co- " pioſe tractat [1]; et quamvis me- " dicus, non dubitat tamen, quae " in utramque partem dici ſo- " lent, in medium proferre, aliis " judicium relinquens: in hoc " tantum errare viſus; quod " Sponii auctoritatem ſequens, " medicos illos *Arruntium, Cal-* " *petanum, Rubrium, &c.* quos " *Romanorum primos* medicinam " attigiſſe dicit, ex *ampliſſimis* " *civium familiis* ad eam illico " acceſſiſſe credat [2]." Verum eſt, quod de Clerico in priori parte ſententiae dicitur. Sin autem *in hoc tantum errare vi-*

[1] Hiſt. de la med. Par. iii. l. 1. c. 2.
[2] Differt. p. 26. 27.

*ſus*

*ſus* eſt, quod *medicos illos Arruntium, Calpetanum, Rubrium, &c. ex ampliſſimis civium familiis ad eam illico acceſſiſſe credat*; in plurimis certe V. R. erraſſe neceſſe eſt. Clericus enim non ſervos, ſed ingenuos homines fuiſſe, qui Graecam medicinam primi Romam attulerint, et in manibus ſuis poſtea illic potiſſimum retinuerint, affirmat. Et quamvis ſervorum exempla, quae contrariae ſententiae fautores ex variis ſcriptoribus collegerint, diligenter exponat; plures tamen medicos, quos ipſe ex Romanis familiis ortos fuiſſe cenſet, in hoc et ſequentibus capitibus commemorat. Nequaquam igitur medendi artem *Romanorum gravitate indignam* exiſtimavit. Sed operae pretium eſt, quid de ſervis iſtis ſenſerit, audire. *Ceux que Suetone, et les autres auteurs*

*teurs qu'on a citez, appellent médecins, pouvoient n'être pour la plûpart que des chirurgiens, ou de ceux qui exerçoient la pharmaceutique.* Num minus jam Clericus in chirurgos contumeliosus fuisse videtur, quam Meadius? Sed in errore etiam versatur V. R. cum *medicos illos Arruntium, Calpetanum, Rubrium, &c. Romanorum primos medicinam attigisse,* Clericum dixisse scribit. Nam *Julium Bassum, Sextium Nigrum, C. Valgium,* et *Macrum,* sub Augusto ante memoraverat; de istis autem, utrum in extrema parte ejusdem imperii, an potius sub Tiberio, Caligula, aut Claudio poni debeant, incertus esse videtur. *Quae* igitur *in utramque partem dici solent,* Clericus ita *in medium profert*; ut eam partem, quam V. R. amplexus est, plane rejiciat.

HAEC

HAEC ſunt argumenta et auctoritates, quibus Vir Reverendus confiſus, *medicorum apud veteres Romanos degentium conditionem ſervilem atque ignobilem fuiſſe*, oſtendere propoſuit. Singula, quanta licuit brevitate, conſideravimus; nihilque omnino, in quo vis ac firmamenti aliquid ad cauſae illius defenſionem ineſſe videretur, ſcientes praetermiſimus. Quam feliciter autem probatio ei ſucceſſerit, jam aliorum judicio relinquimus.

In priori capite, quo de medicorum ſtatu generatim agit, primis DC annis artem medicam apud Romanos *non niſi a ſervis et extremae ſortis hominibus, quos fere omnes a Graecis habuerunt, adminiſtratam fuiſſe* aſſerit. Ubi idem ſane bis dici-

tur: nam *ſervi*, non *liberti*, extremae ſortis homines fuerunt. Et tamen proximis verbis ſervos hoſce *libertatem* prius *adipiſci*, quam *officinas ad operam ſuam, artiſque inſtrumenta publice vendenda conducerent*, ſolitos fuiſſe ſignificat. Paucis autem interpoſitis, *poſt Graeciam tandem et Aſiam ſubactas, principes viros primum Graeculos ſervos medicinae peritos coëmere coepiſſe* ſtatuit; *quorum deinceps in manibus*, ut ait, *medendi ars ac provincia fere omnis verſata eſt*. Sed mox iterum veteres illi Romani *medendi artem a ſervis omnino occupatam atque adminiſtratam, tanquam illiberalem ac ſordidam rejeciſſe* dicuntur. Nihilominus tamen *haud negandum eſſe* dicit, *quin cum ſervulis hiſce ſeſe conjunxerint Graeculi eſurientes, liberae fortaſſe, ſed humilis certe*

te

*te et abjectae conditionis : quos omnes J. Caesar civitate donavit. Atque haec prima* scilicet *medicis ad honores janua patefacta. Artem autem ipsam, magnis licet privilegiis munitam posthac atque ornatam, vix unquam tamen inter liberales censeri* autumat. Imo, quis credet ? post januam hanc ad honores medicis patefactam, cum *apud principes gratia valere, opibusque et variis immunitatibus aucti, ex servili atque ignobili statu ad honestum, atque ex tenebris et obscuritate in lucem et splendorem evadere* coeperunt ; *in humillimis mortalium a Seneca adhuc numerantur*. En itaque *medicae rei faciem* apud veteres Romanos, ut auctori nostro eam depingere placuit ! Sed quis non videt haec ita secum discordare, ut plane sint ἀσύστατα ?

Contra autem verus medicorum ſtatus, artiſque illorum apud Romanos, quantum ex antiquis ſcriptoribus colligere potuimus, talis fuiſſe videtur : Graecorum medicina, quae per primos DC annos Romae non obtinuerat, haud ita multo poſtea ab ingenuis viris illuc adferebatur. Et cum ſequenti tempore principes viri, ac divites, ſervos hac arte inſtructos in privatum uſum ſibi comparare coeperunt, liberi ſolum homines eam nihilominus publice exercebant. Ars autem ipſa illiberalis aut ſordida nunquam habebatur. Cicero certe inter liberales reponit : et Seneca *liberaliſſimam* appellat ; qui de ipſis etiam medicis alibi loquens, *horum*, inquit, *apud nos magna caritas, magna reverentia eſt* [1]. Imo dum ſtetit reſpublica, in ſummorum virorum amiciti-

[1] De benef. L. vi. c. 15.

am

am et familiaritatem medici adhibebantur ; ſicut Craſſus Aſclepiade ſe *amico* uſum fuiſſe dicit. Medici autem, quos J. Caeſar civitate donabat, omnes liberi, et plerique ſaltem ingenui fuere. Ab Auguſto quoque, et aliis deinceps principibus, variis immunitatibus ornati, opibuſque jam florentes, gratia et amicitia apud illos haud raro valebant. Hinc et ars eorum majoribus praemiis quotidie augebatur. Quin et *archiatrum* ſuum, nomine *Andromachum*, habuit Nero, ut ex Galeno diſcimus [1] ; de qua dignitate poſtea, et immunitatibus ei conceſſis, in jure Romano haud raro legimus. Scholae etiam, vel collegii, medicorum ruinae in Eſquiliis adhuc extant. Et *Alexander Severus*, ut tradit Lampridius, *rhetoribus*, *grammaticis*, *medicis*, aliiſque *ſalaria*

[1] L. i. Antidot.

*inſtituit, et auditoria decrevit, et diſcipulos cum annona pauperum filios, modo ingenuos, dari juſſit* [1]. Interim tamen morem iſtum ſervos medendi arte peritos, qui familiae valetudini privatim miniſtrarent, alendi, nobiles et opulenti homines ſemper retinuerunt. At ſervi iſti tam nomine, quam officio, ab iis diſtinguebantur, qui artem publice exercerent ; nam ut hi *profeſſores*, ſic illi *domeſtici medici* vocabantur. Nihil autem prohibuit, quo minus liberti in profeſſorum numerum admitterentur, quod et ſaepe accidit ; quanquam major pars eorum, qui arte inſignes erant, ingenui fuiſſe videntur. Porro etſi Romae res medica in Graecorum manibus praecipue ſemper verſata fuerit ; cives tamen Romani, iique bene nati, ſub Caeſaribus ſaltem non defuere,

[1] In vit. c. 44.

qui

qui huic ſtudio ſeſe addixerint. Haec vera eſſe artis ſalutaris effigies, uti inter Romanos conſpecta fuit, ſi auctoribus eorum fidem habeamus, videtur; ut diſpar admodum ac diſſimilis ei, quam V. R. delineavit, ita multo ſane pulchrior et amabilior.

In poſteriori capite *chirurgos a reliquis medicis nec nomine, nec conditione antiquitus unquam diſtingui*; et *apud veteres Romanos utraſque ſimul medicinae partes ab eodem ſemper exerceri*, contendit.

Prudenter autem hanc partem alteri ſubjecit. Nam ſi omnes medicos ſervos fuiſſe probaſſet, tota quaeſtio de conditionis diverſitate eadem opera fuiſſet ſublata; quandoquidem, ut lex ait, *in ſervorum conditione nulla eſt differentia*[1]. At Celſus ſane hanc

[1] Inſt. De jure perſon. §. 3.

rem

rem longe aliter explicuit. Nam et chirurgiam a reliquo medicinae corpore diductam fuiſſe, ſuoſque profeſſores apud Romanos habuiſſe, oſtendit. Neque minus aperte eam medicinae partem, quae morbis medetur, ut difficillimam, ſic etiam clariſſimam eſſe declarat. Item Craſſus apud Ciceronem etiam ſua aetate alios medicos morbis, alios vulneribus, alios oculis mederi ſolitos teſtatur. Ceterum inferioris notae medicos, qui omnium morborum vulnerumque curationes profiterentur, ſemper extitiſſe, nemo, opinor, denegabit. Inſignes autem viros, arteque celebratos, haud ita ſe comparaſſe, ſed uni tantum parti ſe totos addixiſſe, ſatis manifeſto conſtat. At vero cum res chirurgica apud veteres in opera magis, quam ſtudio poneretur, ſententia eorum a vero minime abhorrere videtur;

tur; qui ſervos hujus praecipue partis expertiores fuiſſe, ideoque libertatem adeptos eam plerumque exercuiſſe, cenſeant.

Sed cum *tota haec diſputatio in hiſtorica quadam diſquiſitione unice verſetur*, ut V. R. recte obſervat; miretur ſane aliquis, cur tot veteres ſcriptores, verbis eorum aut plane corruptis, aut in alienum ſenſum deflexis, quaſi obtorto collo in cauſae ſuae patrocinium invitos cogere ſtuderet. Nihil enim bonis literis gravius detrimentum adferre poteſt; quam cum viri eruditi *otio ſuo* et doctrina ita abuti velint, ut incerta pro certis, ficta pro veris, quantumvis ſpecioſe propoſita, incautis ac minus expertis obtrudere conentur. In hanc igitur arenam neque amore contentionis, neque ſpe aliqua victoriolae commotus deſcendi; ſed ut quo loco

res

res medica apud veteres Romanos revera ſteterit, manifeſtum fieret. Ob quam cauſam lector etiam mihi ignoſcet, ſiquando rem magis dilataverim, quam ad ea refutanda, quae V. R. contra clariſſimum Meadium, alioſque viros doctiſſimos attulerit, opus erat; quo veterum ſcriptorum locis quibuſdam, quae hanc quaeſtionem obſcuram reddere videbantur, lucem adferrem. Sed cum ipſe haec ſua non immerito *levicula* eſſe fateatur; ſperandum eſt ſane, quando *graviora* iſta, quae promittit, in publicum edet, *gravioribus* illum argumentis ea confirmaturum.

*F I N I S.*

---

*E R R A T A.*

PAG. 71. *verſ.* 22. l. *decuriones.* 78. *in marg.* in vit. Caeſ. 88. 14. Evtychvs. 110. 9. *civitate.* 117. 4. *medicus.* 118. 19. ſui. 125. 10. minus. 139. 7, 18. *medecins.* 21. *de prendre.* 160. 1. videri.] 161. 5. proximis. *in marg.* L. xxxii. c. 3. 169. 22. oportet. At licet. 179. 18. *Praxagoras.* 180. 15. *Herones.*